SUPPLEMENTORUM

AD

LEXICA HEBRAICA

PARS QUARTA

LITERAS ט, י, ET כ COMPLEXA.

Proſtat in bibliopol. VANDENHOEKIANO.

LECTORIBUS,

QUORUM SUMTIBUS SUPPLEMENTA EDITA SUNT,

S. D.

JOANNES DAVID MICHAELIS.

Tradens Vobis eam ſupplementorum partem, cujus pretium ante tres jam annos ſolviſtis, (primam dimidiam, ſeptem alphabeta facientem) et gratias, quas habui hucusque, ago, quod ejus editionem juviſtis, et gratum Vobis ſpero fero, quod eam dimidio, quo nunc venditur pretio habetis. Supplementa, ut noſtis, promiſi, non lexicon, cui perficiendo nec mea aetas, jam ſeptuagenarii, nec laboris perquam moleſti par eſt patientia. Curabo tamen, ut et hoc habeatis, et vero, ex mea quidem ſententia, optimum. Ex nullo hebraico lexico plus profeci, quam ex Edmundi Caſtelli, anno jam 1669. edito, ſed quo, quia magni pars erat heptaglotti, pauci potuerunt uti. Hoc

ergo

ergo me ſvaſore ſeorſim typis excudetur, ſemperque in margine adnotabitur, ſub quo meorum ſupplementorum numero aut omiſſa invenire vocabula, aut ea quae de verborum ſignificationibus obſervavi copioſiusque diſputavi, invenire liceat. Pretium mediocre erit: negotium ſuſcepit Roſenbuſch, typographus Goettingenſis, cui qui nomen dabunt, alphabetum, (ut vocant,) communis chartae, 12 groſſis, nitidioris, 18 groſſis, habebunt. Ex ejus computo duo erunt aut tria alphabeta. Goettingae die 16 Apr. 1787.

---

897. טֵאטֵא et מַטְאֲטֵא Jeſ. XIV, 23. *demerſit, defodit, fovea, coenum.*

Magnum habet veri ſimilitudinem ſignificatio in lexica recepta, verbi, *everrit*, nominis, *ſcopae*, *everriculum*, filo orationis apta, *everram* Babylonem *everriculo internecionis*, firmata et a Rabbinis, Kimchio maxime, cum in commentario ad Jeſaiam, tum in radicum libro, linguae Thalmudicae et Rabbino-Chaldaeae uſu: adferunt etiam ſtabiliendae ſententiae primarium Thalmudis locum, (ex Roſch Haſſchana) ignotum olim fuiſſe verbi ſignificatum, donec aliquis aliquando Rabbinus audiviſſet, mulieri dici, שקלי טאטיתך וטאטי ביתא *ſume ſcopam et everre domum.* Praeiverunt denique ex antiquis Chaldaeus, Syrus et Vulgata. – – Et tamen mihi, cum videam, nullam omnino linguarum Orientalium, praeter Thalmudicam, hanc notionem habere, ſuſpecta videri coepit: primo enim ſaepe haec lingua verbis notiones dat, non a matre acceptas, ſed a magiſtris, illis ita utentibus, ut interpretari in ſacris literis ſolebant; deinde hoc ipſum, quod fatentur ignotum olim vocabulum fuiſſe, donec aliquando a viatore in taberna audiretur, argumento eſt, ne in lingua quidem Chaldaica ſatis uſu tritum fuiſſe; denique ipſum illud Chaldaicum, ex audientis et peregrini ore his literis ſcriptum טאטי, et טאטית, forte ad radicem potius טיט, *lutum*, *coenum* pertinebat, denominativum, ſignificans *a coeno purgare*, et per Jod ſcribendum. Quodſi et ad hanc radicem referre Hebraeum טאטא velis, permutatione literarum Jod et Aleph, multo mihi recepta ex Rabbinis notione videretur probabilior verſio Alexandrina, θήσω αὐτὴν πηλοῦ βάραθρον εἰς ἀπώλειαν, vel, ut meis verbis dicam: *in barathro coeni demergam eam ad internecionem.* Sic מטאטא *barathrum coeni*, in quo quid ſubmergitur, טאטא *coeno, ſeu coenoſo barathro mergere.* Egregie certe convenit praecedenti: *faciam eam paludem aquarum.*

 Sed

Sed eodem me, nec ulla literarum mutatione, deducit طاطا Arabicum, *submittere, demittere*, ut in chrestom. pag. 49. طاطا رأسه, *demisit caput*, (vide plura apud Castellum exempla) *demisit*, i. e. *profundam effecit fossam:* hac versione, *alte defodiam eam in fovea internecionis*. Hoc inter, et septuagintavirale, ambigo, re eodem redeunte.

898. טַבָּחִים *praetoriani milites, corporis regii custodes*, proprie, tortores.

Recte jam dudum ex lexicographis meliores *praetorianos milites, corporis regii custodes*, intellexerunt, indeque רב טבחים vel שׂר טבחים *ducem praetorianorum*. Praetorianorum militum erat, poenas capitales exsequi, unde Genes. XXXVII, 36. in palatio principis טבחים carcer erat, ipseque carceri praeerat, c. XXXIX. XL, inque Daniele, c. II. principi טבחים in mandatis datur, eruditos Babylonis, fraudis suspectos Nabochodonosari, ad necem conquirere. Sed haec vide copiosius disputata in juris Mosaici T. V. §. 232. Solas excerpo auctoritates veterum ibi enotatas. רב טבחין Dan. II, 13. Josepho est, eandem historiam narranti, ὁ τὴν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἀρχὴν πεπιστευμένος, Ant. X, 10, 3. Vulgatae, paulo latiore vocabulo, *princeps militiae*, alibi, *magister militum*, Syro hic et alibi, ܪܒ ܩܛܘܠܐ *princeps lictorum*, nempe quod praetoriani milites ex antiquo more lictores regis carnificesque essent: eidem Josepho Ant. X, 8, 5. collato Jerem. LII, 12. στρατηγός, Pseudojonathani Genes. XXXVII, 36. XXXIX. XL. רב ספוקלטוריא *princeps spiculatorum*, quod ipsum nomen est custodum corporis regii, (vide Marc. VI, 27. et Wetstenium ad h. l. itemque Buxtorfii lex. p. 1533.) Chaldaei antiquiores רב קטוליא vocare solent, *principem*. non parricidarum, sed *carni-*

carnificum. Arabs uterque in Genesi رئيس السيافين *praefectus gladio armatorum*, quo nomine iidem, qui antea *spiculatores* intelligendi videntur, gladio etiam ad supplicia exigenda utentes.

At unde dicti milites praetoriani? a *mactando?* ab eo ipso, quod carnifices homines jugulant? Non negaverim, sed aliud etymon ipse nobis suppeditat nominis Arabici usus. طبخ Arabibus non tam est mactare, quam, *coquere*, *assare;* hinc ab urendo et torrendo, طابخ *tortor*, peculiariter, *angelus damnatorum tortor.* Proprie ergo, *tortorem*, (βασανιστὴν Matth. XVIII, 34.) et *carnificem* nomen denotat, a quo munere, olim honesto, custodes corporis regii nomen acceperunt.

De LXX etiam dicendum, qui ubique ἀρχιμάγειρον, *principem coquorum* vertunt, facili quidem et ultro se offerente etymo, sed ad rem ita inepte, ut difficile sit, risum continere. Domine coqui regii sit carcer regius? (Genes. XXXIX. XL. XLI.) coquone id negotii det rex ut philosophos Babylonios, *impostores visos*, ultimo supplicio adficiat? (Dan. II.) Coquusne regius, et vero absente rege, locum habeat inter duces Hierosolymam expugnantes? (Jerem. XXXIX, 15.) Coquusne a Nabochodonosare mittatur, ad Hierosolymam comburendam, ordinandasque res provinciae? (Jerem. XL. LII.) Tamne insani Graeci interpretes, et vero diversi diversorum librorum, ut talia animo conciperent? Velim hac eos incogitantiae culpa absolvere, si fieri possit. Posueruntne ἀρχιμαγείρου nomen pro *carnifice*, fere, ut, *carnifex*, medii aevi latinitati *lanio* est? Aliquid ejusmodi suspicabatur Hieronymus in quaestionibus ad Genesin: *in plerisque*, inquit, *locis archimagiros, id est, cocorum principes, pro magistro exercitus scriptura commemorat: μαγειρεύειν quippe graece interpretatur, occidere. Venditur igitur est Josephus principi exercitus, et bellatorum.* Facit

 pro

pro hac eorum defensione, quod Chaldaei solent קטוליא *interfectores* vertere: nec tamen negarim fieri potuisse, ut etymo decepti LXX eundem, quem recentiorum multi, errorem committerent. Josephus quidem, ubi ex libri regum, Jeremia et Daniele sua haurit, melior, in Genesi LXX sequutus, ἀνὴρ vertit, ἐπὶ τῶν Φαραώθου μαγείρων τοῦ βασιλέως; *vir coquis Pharaonis praefectus.* Samaritanus, נתן זרע לאחיו, *dans cibum fratribus suis? dispensator?* quibus de verbis longior quaestio, et anceps, donec rescìamus, quid Arabes hic Samaritani habeant.

899. טַבּוּר Jud. IX, 37. Ez. XXXVIII, 12. *angulus? latibulum?*

Vocabulum rarius vertunt plerique, *umbilicum*, umbilicum terrae ejus medium intelligentes, ut *Aetolos umbilicum Graeciae incolere* Livius dixit. Usum adferunt et auctoritatem ex lexicographis primi, ut Kimchius, linguae Thalmudicae, cui טבור hac significatione frequentissimum, ut disces ex Buxtorfii lex. Chald. Thalm. p. 854. praeiveruntque ex antiquis utrobique LXX et Vulgata. Minuit tamen auctoritatem Thalmudicae linguae, quod alia nulla orientalis hac notione *Tabbur* habet; ac ne quidem adparet, unde orta sit: ergo suspicio, aut nomen barbarum esse, in linguam Thalmudicam receptum, aut commentitium, ex horum ipsorum locorum interpretatione solita a Rabbinis factum. Magis etiam notionem dubiam facit, quod primo loco parum apta, ex angulo potius aliquo inter montes, quibus Sichem clausa, agmine erumpente.

Mihi ergo paulo visum verisimilius, *latibulum*, *angulum* esse, collato Arabico طبر *latuit*, unde طَبَرٌ *angulus*. *Angulus terrarum* in Ezechiele Palaestina dicitur, quod comparata immensis Gogi et Magogi regnis angulus est aliquis terrae, in extrema Asia. Concinit quodammodo Arabs in libro Judicum, اقصى *extrema* vertens.

תוקפא

תוקפא *fortalitium* utrobique vertit Chaldaeus, (loco Ezechielis parum apte, ubi Palaeſtina ut regio omnibus aperta et objecta, per villas habitata deſcribitur, v. 11.) inque Judicum libro Syrus. Filum orationis huc ſi nos deduceret, poſſet conferri طُبْر quod et explicant, *latus ſolidius, ſeu fulcimentum arcis.* Sed nec Judicum libro nec Ezechieli apta ſignificatio.

Quid ſpectans Syrus in Ezechiele *pulcritudinem* (terrae) ܫܘܦܪܐ verterit, non expedio: ſolam ſequutus in ignoto vocabulo conjecturam videtur.

Fuerunt et qui *montem, locum editiorem,* interpretarentur, pro quibus Samaritanum adferri טבור *mons* poſſit: ſed forte pro טוּר, a Chald. טורא.

900. טבת *menſis decimus, Januarius*, Eſth. II, 16.

Ἅπαξ λεγόμενον, in libro infimi Hebraismi, nomen, ut additur, menſis decimi, qui, quantum lunares comparari ſolaribus poſſunt, reſpondet noſtro Januario, neutiquam, ut imperite fingitur, Decembri. Vide commentationem de menſibus Hebraeorum. Praeivit jam veram ſententiam Hieronymus, ad Ezech. XXXIX, 1. *porro juxta LXX decimus menſis* (loco duodecimi in Hebr. lecti) *qui Hebraeis appellatur Tebeth, et apud Aegyptios* Τυβὶ, *apud Romanos Januarius.* Nulla linguarum orientalium concinens ſono nomen huic menſi tribuit, ac ne derivationis quidem copiam facit, de qua, quae commentus eſt Simonis, vix probatum iri lectoribus putem. Aegyptium nomen cum quodammodo concinat, ſuſpicari Aegyptiam originem ac patriam poſſis: et cum Υ cum Aegyptii non habeant, quaerene, quibus hoc ſuum Januarii nomen literis ſcribant? Arabice quidem, طُوبَة, Coptice, ΤΩΒΙ, ſic in lexico la Croziano p. 107. in menologio codicis

cis Lambeciani, quod Treschovius edidit, Τῆβ. Vide ejus *tentamen descriptionis codicum Vindobonensium*, p. 129. Μῆνες Αἰγυπτίων ἀρχόμενοι ἀπὸ ἰανουαρίου. — Τῆβ &c. Aegyptium si nomen est, non puto ante Graecorum tempora Hebraeos illud habuisse: sed his ipsis temporibus librum Estherae tribuere soleo, mea sententia confictum, cujus sententiae alibi rationes reddidi ac reddam.

901. טהר in Hithpael, *corpus abluere*, *baptizari*.

Insignem et gravis momenti praetermitti video verbi in Hithpael significationem, observatam dudum a Judaeis, sed quam hic, forte ex rationibus theologicis, nostri repudiarunt. Genes. XXXV, 2. Jacobus uxoribus, cultu idolorum hucusque pollutis: *removete deos peregrinos*, והטהרו (literaliter) *et purificate vos*, *et mutate vestes vestras*. Intellexerat *de lotione corporis* Abenezra, (שירחצו הגוף) idque verissimum habeo, quod cum alio externo ritu, ac cerimonia, permutatione vestium, componitur. Ipsa lotione corporis et baptismo purificare se ab immunditie idolorum, eamque abdicare uxores jubet. Arabibus quidem طهّر est, *abluere*, quod vel ex fronte Coranorum, qui eos manuscriptos possident, norunt, inscriptum habere solita, *manibus purificatis*, i. e. lotis. Sed insignior etiam in ipso Mose pro hac significatione locus Num. VIII, 7. *sic perages purificationem Levitarum:* 1) *sparge super illos aquas expiationis* (lustrales aquas) 2) *transire faciant novaculam super corpus suum*, 3) *abluantque vestes suas*, (וכבסו בגדיהם) *et* 4) הטהרו. Hic quis dubitet, quin idem sit quod post כבס בגדים alias sequi solet, ירחצו i. e. *abluant corpus suum?*

Superest adeo in Joannis evangelio phrasis Hebraizans, c. III, 25. baptismum simpliciter τὸν καθαρισμὸν vocantis, ubi ipsum verbum Hebraicum reddidit Arabs, التطهير.

Alicu-

Alicujus momenti cur hoc mihi videatur obſervatum, diſces ex *dogmatica*, germanicae edit. p. 615. latinae, 286.

902. מִטְּהָרוֹ *victoria?* Pſ. LXXXIX, 45.

Laborat ex lectione punctorum הִשְׁבַּתָּ מִטְּהָרוֹ *ceſſare feciſti a puritate ejus.* Hiulca conſtructio, *ceſſare feciſti*, quem? reſpondes *eum*, ſed quid erat cur non cum ſuffixo ſcriberetur, הִשְׁבַּתּוֹ? Quid eſt, ceſſare a puritate ſua? ubi de infortuniis pii ſermo? Quaeri etiam poſſit, quid ſpectantes maſorethae literae ט non ſchva ſimplex ſubdiderint, ſed Kometschatuph.

Equidem malim, mutatis punctis מְטָהֲרוֹ efferre, (forte idem habentes invenientur codices, modo evolvantur, ſed eorum auctoritate ſi deſtituor, vix quidquam novae decedit explicationi, punctorum enim nulla auctoritas, *nullus teſtis*, ſed arbitrium interpretis) idque *victoriam* vertere, ab Arabico ظهر *vicit:* hac ſententia, *ceſſare feciſti victorias ejus*, egregie ad praecedentia et ſequentia. Praeiviſſe adeo videri poſſit Syrus, ܙܟܘ̈ܬܗ vertens, forte, *victorias*, a ܙܟܐ *vicit*, dubitanter enim de illo ſcribo: Arabs certe Antiochenus hoc Syriacum شجاعته *fortitudinem*, vel, *fortia ejus facta*, interpretatus eſt.

Quaeras hic forte, quomodo acciderit, ut vincendi notionem verbum טהר, ظهر adipiſceretur? Credo, a puritate, et juſtitia, plane ut Hebraicum זכה *purus fuit*, Syris ܙܟܐ *vicit*, juſtus enim declarari a Deo videtur, qui vincit. Arabicum ظهر et طهر ſtemmate idem, ſed diviſis ſignificationibus. De hac quidem etymologica quaeſtione utcunque ſtatuas, id certum, ظهر conſvetum Arabibus *vincendi* verbum eſſe, unde et ظاهر *victorioſus*, e. g. Baibars cognomine الظاهر in Herbeloti bibliotheca Or. p. 204. ac plures in hiſtoria nobiles.

903. טוב Jud. XI, 3. 2 Sam. X, 6.

Nomen proprium regionis ſine dubio Transjordanenſis, quod et 1 Maccab. V, 13. recurrere videtur, ſed diverſimode ibi ſcriptum, Τούβιου ſc. terra, et, ut Druſius ex codice notavit, Τουβίν. Vide dicta de hac regione in *hiſtoria belli Neſibeni* §. 16. (p. 106. 107. *commentationum ſocietati ſcientiarum per annos 1763–1768 praelectarum*). Id quidem ex Maccabaeorum libro certum, ultra trium dierum, et vero citati exercitus ac feſtinantis, i. e. ultra 15 milliaria germanica, a Jordane abeſſe, tertio enim a trajectu Jordanis hoſtem nondum viderat Judas, ſed a Nabataeis diſcit, ubi quaerendi ſint. 1 Maccab. V, 24. 25. Plura illo ex loco diſci nequeunt, ipſam Tubam, cujus incolae Israelitici generis jam deleti aut in ſervitutem ducti, ab hoſtibus erant, adiiſſe non dicitur.

Nomen ſono concinens quaerenti plura ſe offerunt, ſed eſt anceps et periculi plena conjectura:

1) de *Thauba* Ptolemaei, ſub longitudine 72, 45. latitudine 31, 30. cogitavit Simonis pag. 235. onomaſtici: ſed huic obſtat, primo nominis ſcriptio per Th, vel Θ, טב enim Ταῦβα ſcribenda fuiſſet, deinde ſitus nimis a Palaeſtina remotus, quam ut veriſimile ſit, a Judaeis Thaubam fuiſſe habitatam, adque Gileaditidem pertinuiſſe. Jordanem ſub gradu 66, 50 habet Ptolemaeus, quinque ergo gradibus orientalior Thauba. Verſus ſeptentrionem quidem Gileaditis ad Euphratem exporrecta, atque adeo ultra gradum longitudinis qui Ptolemaeo eſt 72, neutiquam vero verſus auſtrum ſub 31 latitudinis. Borealior ſcena belli, *Thauba* auſtralior.

2) In D'Anvillianis delineationibus ſub gradu longit. 57. latitud. 35. invenies, *Taibeh*, a borea deſertorum Palmyrenorum, quae veriſimiliter ſub Salomone, ultra eam dominantis, ditionis Israeliticae

cae fuit. Descripsit etiam situm in suo *Euphrate et Tigride (L' Euphrate et le Tigre)* p. 36. Hujus quidem urbis situs satis concineret, nec abluderet nomen, sed nihil audeo definire.

Ergo, ubi sita terra טוב ignorabimus, quousque incognitis prope terris adnumeranda ea Arabiae aut Syriae pars, in qua sita fuit. Forte nomen in hunc usque diem servat, sed ignoramus, aut si sciamus, indiciis caremus, quibus demonstrari possit, eandem esse regionem, quae in sacris literis memoratur. Haec quidem, ut et id addam, Davidis tempore ab hostili Israelitis gente habitata fuit, auxilia contra Davidem mittente, Judae Maccabaei tempore Israelitarum fuit.

904. טוח *oblinere*, e. g. *calce*.

Frequens Hebraeis verbum, certaeque significationis, quod tamen Arabibus Syrisque hac significatione plane periit, sola phrasi طَبَّخَهُ السِّمَنُ *obsepsit* vel *texit eum pinguedo*, excepta. Vide Castelli lexicon pag. 1497.

905. טֻחוֹת *occulta?* an *tenebrae*. Ps. LI, 8. Job. XXXVIII, 36.

Vocabulum non nisi his duobus locis obvium, in quo mihi verisimiliora adferre videntur, qui *occulta*, *latentia*, interpretantur, ab oblinendo, et calce tegendo dicta. Cogita, psalmi locum legens, Deuteron. XXVII, 2. 3. intelligesque, quomodo occulta et latens sapientia dici a טוח potuerit. Praeiverunt, in Psalmo LXX, τὰ ἄδηλα, eosque et in sua versione sequutus Hieronymus, *abscondita*, (Vulgata male, *incerta*) inque Jobo Syrus, ܒܟܣܝܐ. In lexicon etiam receperat Reuchlinus, emendatoribus, ut puto, sapientior.

Quod nunc late regnat in lexicis, *renes*, Chaldaeo debetur, qui utrobique כולין habet: hinc fere Judaei, Raschius, inque radicum libro Kimchius, addito quoque etymo, a טוח, *quod renes tecti adipe*

 sint.

sint. Forte qui haec reliquis praeiverunt, eam ipsam phrasin Arabicam cogitabant quam supra sub num. 904 attuli, quamque, sed prave, adfert in lexico Simonis: *Arab.* طاخ *media Je, in 2 conjugatione, obduxit pinguedine sive adipe, et intransitive, adipe plenus fuit.* Atqui طيّخ nil erat aliud quam, *tegere, obducere: pinguedine*, id in sequente سِمَن inerat. Displicent tamen renes duplicem ob caussam: primo quod nullus praeivit veterum, Chaldaicae enim psalmorum ac Jobi versiones perquam recentes; deinde quod Jobi loco minus apti. Cupidinem, desiderium, dolorem, solicitudinem renibus tribuunt Hebraei, nunquam prudentiam ac rationem, nec putem gentem ullam tam fuisse stupidam, ut rationis sedem renibus ventrique adsignaret.

Ergo primam explicationem praeferens, ambigo tamen, sitne ad radicem טוח referendum nomen sine Vau scriptum, an potius, eadem manente sententia, ad טחה Arab. طحو *tenebrosa fuit* (nox) unde طخاء *ingentes tenebrae.* Eadem utrobique sententia, in psalmo: *delectaris sapientia in tenebris*, i. e. abscondita, inque Jobo: *posuit rationem in tenebris*, i. e. in loco corporis humano tecto, et obscondito, capite, cerebro; sed ad quod aditus non datur, in quo nil nisi caligo, et in quo vel hunc usque in diem nihil dignum rationis adyto observare vel solertissima anatomia potuit.

Aliorum sententias, Schultensiique ipsius, ex commentario in Jobum Schultensiano disces, non hic a me excerpendas. LXX in Jobo vertentes, τίς ἔδωκεν ἐν γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, omisso Chet טוים vel טוית legerunt, idque *feminas netrices* intellexerunt. Hieronymus in Jobo, *in visceribus*, habens, conjecisse videtur, sed male conjecisse. Tecta sunt viscera, sed in illis, in ventre, nemo sapientiae locum, ut nec in renibus decreverit.

906. טול, et Jes. XXII, 17. טלטל

Projiciendi, abjiciendi significatio, in lexica recepta, indubia. Unum de etymo monuerim, Arabibus طول notionem *longi* habere quae forte prima, unde et *abjicere*, *procul projicere* dictum, et *projicere*. Haud monerem, nisi aliquid propria significatio lucis adferre videretur verbis Ps. XXXVII, 24. ubi יוטל esse videtur, *totus quam longus est humi extenditur:* sic poscit, et oppositio ad, *cadere*, et quod de deo fulciente manum additur, eumque sustinente, ne prorsus concidat: *si cadit, humi non extenditur, fulcit enim deus manum ejus.*

Apud Chaldaeos Syrosque טַיֵּל est, vagari, ܛܘܳܠܳܐ vagatio, ac טלטול de exsilio ponitur. Et hoc a longo dictum, *longe domo vagari*, *longa exilia:* transferendum ad ea firmanda, quae de מטלטל טלטלה Jes. XXII, 17. meliores habent et interpretes et lexicographi. Arabicum طلطل *graviter commovit*, *quassavit*, jam paulo remotius, forte tamen et ipsum a *projectu fortiore* dictum. Sed plus hic Hebraicis literis ex Aramaeismo opis.

907. טור *Ordo, series:*

Nomen frequens ac certae significationis, nec tamen nisi ubi de pectorali sacerdotis, templove, aut ejus columnis sermo instituitur, obvium. Destituunt tamen nos cognatae linguae, nihil hujus notionis his sub literis habentes: proximum forte Hebraico vocabulo, طور *limes*, unde Syri ܥܕܡܐ ܠܛܘܪܐ, *quousque terminus*, id est, *quam diu?* Ephraem. T. I. p. 87. Ergo ex reliquis linguis antiquato vocabulo nihil lucis: sed ex filo orationis antiquisque interpretibus de ejus significatione satis constat.

טירה quaere sub טי.

908. מרש *volare.* Job. IX, 26. Jes. XXI, 15.

Ἅπαξ λεγόμενον putatur, non nisi Job. IX, 26. obvium, recteque volare vertitur, *ut aquila volat* i. e. *irruit in praedam.* Addit Coccejus linguae Chaldaicae auctoritatem, cui מוס idem sit, ego et certiorem Syriacae, cui frequens ܦܪܣ *volavit*, cum suis derivatis, exemplis firmatum vide a Castello. Adfert et Schultensius Arabicum طاس به, quod ipsi explicent Arabes per ذهب به *abiit cum illo*, i. e. *abripuit.* Agnosco et hujus linguae consensum, plus tamen hic ex Hebraica lucis accipit, quam ei impertitur.

Forte ad hanc radicem, mutato puncto Sin diacritico, referendum Jes. XXI, 15. חֶרֶב נְטוּשָׁה *gladius volare factus*, i. e. *vibratus supra caput.* Potest tamen et alias interpretationes admittere, quas vide sub נטש.

909. מחה *jaculatus est*, מטחוי קשת *jactus arcus*, Genes. XXI, 26.

Ἅπαξ λεγόμενον, sed de cujus sententia, quam supra ex communi consensu posui, vix ambigi potest, *tantum spatii, quantum teli jactus emetiri solet.* Habent Arabes, simillima phrasi, sed aliis verbis ejusdem dimensionis nomen رمية سهم *teli jactus:* e. g. Abulfedae Syria p. 124 (ex Koehleriana editione) *duo castella,* بينهما رمية سهم *interstitio jactus teli*, – – et p. 138. nota 276 علي رمية سهم *intra teli jactum.*

De re ipsa nullum dubium, at verbum מחה *jaculandi* significatione cum ignorare videri possint linguae orientales, et de eo dicendum.

Samaritanis quidem מחה idem esse creditur, quod Hebraeis דחה, *impulit*, (vide Castelli lex. p. 1419) Arabicumque طخا pro طحو *projecit aliquem humi.* Hincne et telum projicere, jaculari, dictum?

Aliud

Aliud certe a nostro est verbum Arabicum طخا *obscurus fuit*, ad quod טחות Job. XXXVIII, 36. referri posse supra dictum, (p. 1004.) quamquam nec defuerunt ex Rabbinis, qui ad טחה *jaculari* referrent, *jactus*, interpretati, fere ut Schultensius. Non probo, nec filo orationis aptum existimo.

910. טחר *intestinum rectum colon.* Deuteron. XXVIII, 27. 1 Sam. V, 6. 9. 12. VI, 4. 5. 11. 17.

Nomen, incertum morbi, an membri corporis morbo adfecti, quod his, quae indicavi locis plerumque in margine legitur, ubi in textu est עפלים, quamquam magna codicum varietate, 1 Sam. V, 11. 17. in textu, nec tamen vel ibi sine lectionis varietate, nam et alii codices, a Kennicotto indicati, עפלים habent. Ipso de morbo multa dissidia, de quibus vide *Fulleri* miscellanea l. V. c. 3. et *Bocharti* hieroz. P. I. l. II. c. 36. verisimillima eorum sententia, qui *mariscas haemorrhoidales* intelligunt: sed de hac quaestione si quid dictis addendum, quaere sub עפלים. Id unum nunc occupo, si vel eo tempore jam fuerint lues Venereae, quas non seculo demum XV. exeunte in orbe antiquo ortas esse, perquam reddidit verisimile Henslerus (*Geschichte der Lustseuche*, 1783) lues tamen Venereae repudiandae, et sive haemorrhoidales morbi, sive alii quicunque praeferendi videntur ob locum Ps. LXXVIII, 66. ubi Philistaeos deus percussisse dicitur, אחור, *in posterioribus.* Sed nunc hac omissa disputatione de solo טחור philologice dispiciamus, morbine nomen an membri adfecti sit.

طحر est quidem *festucam ejicere*, et طُحْرُورَة *cuspis*, possis ergo forte morbum ob festucae aut cuspidis similitudinem dictum putare: sed haec evanescunt, aliaque notionum series oritur, lingua Arabica et Syriaca comparata.

طحر duo significat, cognata ut puto, 1) *ex alto spiritum ducere*, indeque طُحَار *ex alto ductum spiritum*, cui concinit Syriacum, ܛܚܪ *anhelavit sub onere, enixus est in exonerando ventre* 2) *jaculari*, *ejaculari* cum derivatis, forte ipsum a nitendo viriumque contentione dictum. Ab utraque notione illi potuerit membro nomen duci, per quod stercora ejaculamur, quamquam priorem praetulerim, nec tam podicem intellexerim, quam, *intestinum rectum*, *sedem*, ut latini dicunt, Graeci ἀφεδρῶνα. Praeiverunt ex veteribus LXX ubique ἕδρας (*sedes*) vertentes, itemque Aquila 1 Sam. V, 9. ibidem Vulgata, *extales*, et VI, 6. *anos aureos*. Sed rem extra dubitationis aleam ponit linguae usus Syriacae, cui ܛܚܘܪܐ non morbus sed membrum adfectum. Ex ipsa id constructione liquet, 1 Sam. V, 6. ܘܡܚܐ ܐܢܘܢ ܒܛܚܘܪܝܗܘܢ, *percussit eos in sedibus IPSORUM*, v. 9. ܘܐܬܡܚܝܘ ܒܟܠܗܘܢ ܛܚܘܪܝܗܘܢ *et* . . . . (hic dubium verbum nondum explico,) *morbosae fuerunt illis sedes EORUM*. Clamat denique res ipsa, cum 1 Sam. VI. Philistaei imagines aureas offerant.

Male his, non satis perpensis, opponit Fullerus Deut. XXVIII, 27. *ubi aperte morbus sit*. Sed ex hoc loco quid effici possit de significatione, מחרים? fac, *sedis*, *intestini* recti notionem illi ineptam esse, quod morborum nomina per ב constructa praecedunt et sequuntur, alteram elige lectionem, et vero textus, ובעפלים. Quamquam in hunc ipsum locum dum incidi, reddenda et videtur ratio versionis Alexandrinae, hic quoque ἕδραν habentis. Sic illa, πατάξει σε Κύριος ἐν ἕλκει Αἰγυπτίῳ ἐν ταῖς ἕδραις, *percutiet te dominus ulcere Aegypti* (elephantiasi, leprae pessimo genere) *in sedibus*, ac si sine Vau praefixo במחרים legissent. Nates praecipua leprae sedes ac latibulum. Auctoritate utor Schillingii, medici Surinamensis, qui hoc morbo infectos permultos

et

et vidit et curavit, in *commentatione de lepra* (Trajecti ad Rhen. 1778. p. 10. *Quamvis lepra diverſiſſimas corporis partes, imo omnes promiſcue occupare ſoleat, illud tamen conſtanter obſervavi, atque ab aliis medicis ac chirurgis confirmatum accepi, illam in nulla parte ſe prodere, quin ſequentes tres regiones ſimul infeſtet, nempe plagas pilis obſitas ſub axillis, regionem pubis, et omnium maxime nates, ubi muſculi glutaei multa pinguedine tecti jacent.*

Ergo טחרים, ubi in Keri occurrit, non eſt correctio maſorethica nominis turpis עפלים, ſed perantiqua varia lectio, morbum a ſede ſua deſcribens, alia verbis, re eadem.

911. טוטפות *phylacteria in fronte geſtata.* Exod. XIII, 16. Deut. VI, 8. XI, 18.

Amuleta ex lino, in fronte (בין עינים) geſtata, quibus cum formulas magicas inſcribere ſuperſtitio ſoleret, Moſes, ornamenta uſitata ac veſtitum Iſraelitis relinquens, ſententias potius legis ad virtutem excitantes, (hae verum, ut in Salomonis Proverbiis ſaepe legimus, phylacterium) beneficiorumque divinorum memoriam inſcribi voluit. Jam intelliges verſionum, prima fronte diverſarum, concentum, ſed quae aliquando et etymon produnt menti interpretis obverſatum.

1) תפלין Onkelos, recepto ſui temporis vocabulo Judaico uſus.

2) Syrus in Exodo, ܕܘܟܪܢܐ, *memoriale*, ex filo orationis, aut aliqua Rabbinorum traditione. Paulo diſtinctius ibidem Vulgata, *appenſum quid ad recordationem.*

3) Idem Syrus in Deuteronomio, ܪܘܫܡܐ *exaratum, ſcriptum:* nempe phylacteriis ſententiae, non calamo tum quidem, ſed linteis acu, inſcribebantur.

4) Arabs Polyglottus ubique, et Erpenianus in Exodo, مَنْشُورَة *amule-*

amuletum, idem quod alias, نُشْرَةٌ a نَشَرَ *averruncavit* (proprie, ſegregavit ab eo) *malum*.

5) Alii a movendo dixerunt, ſive, *mobilia* ſive *immota*. Illud quidem LXX, Symmachus et Theodotio faciunt, ubique *ἀσάλευτα* vertentes, et Aquila, *ἀτίνακτον*, *inexcuſſum:* contra Vulgata Deuteron. VI, 8. *eruntque et movebuntur inter oculos tuos*. Hos quidem ſuſpicor etymon exprimere voluiſſe, cujus adhuc aliquid in lingua Arabica ſupereſt, ſed ipſis aliunde, aliis ex reliquiis Hebraiſmi notum: طَقَّ *agilis fuit*, طَقَّقَ *expandit alas ad volandum*. Hinc mobilia et oculos circumvolitantia dici cenſuit phylacteria Hieronymus, at LXX per antiphraſin, quo figurae commento ſaepe illi utuntur, immobilia, eosque ſequuti alii Graeci.

6) Arabs Erpenii Deut. VI, 8. عصابة *ligamenta, taenias*, habet, exacte, ut mihi videtur, ad etymon, ſimulque egregie, ſed de hoc deinceps.

7) Samaritanus harmonice, vocabulo ſuae linguae vernaculo, טפים exprimere ſolet, quod Caſtellus p. 1550 lexici ſub טפא habet, melius forte ad טפף referendum.

De etymo alii alia attulerunt, veriſimilia et diſſimilia: mihi quidem referendum videtur ad טפף *ligare*, quod ſuo loco vide; ſic taeniae erant, fronti circumligatae. Hinc et Chaldaeis latiore ſenſu טוטפא *armilla, tiara*. Ab hoc טפף ortum, ut בבל a בלל. – – Ad Chaldaicum טוף *ſpectare, proſpicere*, retulit Simonis, quod oculis oberrarint, aliis ille veriſimilius, nec tamen ex hoc etymo Chaldaicum, *tiara*, explicueris, quam capiti impoſitam oculis non videmus: male idem et Arabicum טוף *adſpicere*, attulit, nullo teſte. Arabibus طَوَقَ eſt, *in orbem ire, circumire*, a quo verbo ſi טוטפות, dicta potius putem, quod caput ambeunt. – – At ab omni veri ſpecie abludit, ne relatu

qui-

quidem dignum, nisi in antiquis lexicis memoraretur Rabbinorum commentum, a Buxtorfio, sed neutiquam probante, p. 869 lexici Thalmudici sub טט expositum. Tradunt Thalmudici, aut mentiuntur, (loca Thalmudis indicavit Buxtorfius) טט in lingua Caspia, (vel rectius *Cathfia*, כתפי (*)), פט in Africana, (quanam quaeso? multas enim Africa linguas habet) hinc componunt Rabbinorum aliqui טטפות, quod phylacteria Judaeorum quatuor habeant cellas, quibus totidem loca scripturae in pergameno subtili scripta infarciant. Quae, si non mendacia, vesania certe! Ergone Mosis tempore vocabulum ex lingua Africana, nescio qua, et Caspia, habuerint Israelitae? Illo jam tempore quatuor phylacteriorum cellas, quibus quatuor loca Mosis inscripta? ab *his*, TOT TAF, BIS DUO, illis nomen ductum? Habebat haec in suo jam radicum libro Kimchius, nec tamen ut sua, (forte enim pudebat) sed ut aliorum sententiam adferens: *dicunt esse quatuor cellas in Thephillin, sequunturque traditionem de voce* טטפות, *nempe* טט *significasse in Gidfe* (sic ille scribit, גדפי) *duo, inque Africa* פת (sic ille pro פט) *duo.*

912. טִירָה Genes. XXV, 16. Num. XXXI, 10. Ezech. XXV, 4. Ps. LXIX, 26. Cant. VIII, 9. 1 Paral. VI, 39. (al. 54.)

His sex locis nomen occurrit, sed sejungenda anquisitio de Cant. VIII, 9. a quinque reliq... In his quidem observes, quater (Genes. 25. Num. 31. Ez. 25. Ps. 69.) manifeste poni de, habitationibus? an pascuis? gentium Nomadicarum: Genes. 25. cum חצרים pagis erraticis, hordis, componi, sed tamen ab illis distingui, Ps. 69. in altero hemistichio ei respondere *tentoria*, אהלים, Num. 31. igne comburi,

non

(*) Aegyptiam aliqui putarunt, in lexicis vero Copticis nullum nomen, duo significans, hoc sono occurrit.

non ergo esse mera pascua, 1 Paral. 6. sacerdotibus tribui, qui nihil praeter modicum alendo pecori habebant agrum suburbanum. Valde diffident hic veteres, forte non ideo damnandi, plures enim significationes habere nomen potuit: sed eos in classes redigamus.

1) Ἐπαύλεις i. e. *caulas ovium*, proprie, *domos pastoritias in quibus est stabulum*, vertunt LXX Genes. 25. Num. 31. et Ps. 69. *caulas* Vulgata, Ezech. 25. Nempe Nomades suos quidem greges per alta deserta sub dio pascebant, videntur tamen aliquando et stabula habuisse, in quae greges cogebantur, maxime quidem, cum tonderentur, sed forte et alias, ut, securitatis caussa.

Hanc quidem vocabulo notionem manifeste adstruit lingua Syriaca, suum habens eadem significatione ܛܝܪܐ : vide Joh. X, 1. 16. ubi pro graeco αὐλή, ponitur, stabulum sine dubio, non sub dio, quippe cui et janua datur, per quam pastor, fur aliunde, ingreditur. Hoc ipso vocabulo et Num. 31. usus Syrus, mirum, quod non saepius. Solum etymon latet.

2) *Castella* alii habent, כְּרַכִּין Chaldaeus Genes. 25. ibidemque Samaritanus קליעת, forte et Vulgata, sed transposito nomine, (*castella et oppida eorum*) in Numerorum certe libro *castella* vertit. Arabs uterque, Polyglottorum et Erpenii, Genes. 25 et Num. 31. قُصُور. Huc et בירניות *palatia* retulerim a Chaldaeo in Ezechiele posita.

Nec haec explicatio priori contradicit: forte enim Nomadum stabula in castellis illorum erant, nec in ea, nisi metu hostium ac praedonum oves cogebantur, ubi res intutae. Utrum vero castellum ab ovili, an hoc ab illo, nomen acceperit, incertum.

Huc et referendi ex recentioribus, qui turres verterunt. Castella Nomadum plerumque turres.

3) Pa-

3) *Pagos* alii habent, et vero Nomadum, ut Num. 31. Syrus ܩܘܪܝܗܘܢ, et 1 Paral. 6. omnes, κῶμαι LXX. *per vicos eorum* Vulg. ܩܘܪܝܐ Syrus, ضِيَاع Arabs, כפרין Chaldaeus: male certe, et huic loco perquam inepte, ſacerdotes enim vicos nullos habebant, ſed agrum mediocrem ſuburbanum.

4) Eos omitto, qui latiore vocabulo habitacula vertunt, ut Chald. Vulg. Syr. in Pſ. 69.

5) Jam ad meras devenio interpretum conjecturas, aliis locis plane ineptas, ut, quod Num. 31. *templa idololatrica* (בית סגרתהון *domum adorationis*) intellexit Onkelos, eique proximus Samaritanus צירותן *imagines*, i. e. *idola ipſorum*, (male enim in polyglottis caſtella redditur): quodque in Ezechiele LXX ἀπαρτίαν, *ſupellectilem, greges*, Syrus ܩܢܝܢܐ *opes* verterunt.

Mihi quidem de vocabulo ſic videtur: et *caſtellum* ſignificat et *ſtabulum ovium*, prima forte caſtelli ſignificatione, in quibus ſtabula Nomadum, quo ſe cum gregibus reciperent, metu hoſtium ingruente: ſic plerumque ſumitur, 1 Chron. VI autem *ſtabula* ſignificat in ſuburbano ſacerdotum agro, (מִגְרָשׁ). Cantici VIII, 9. turris eſt, nec vero argentea, ſed obducta argento, muro impoſita: certo prope argumento ſequens verſus, ubi loco ejus מגדלות habemus.

913. טַל *ros*, aliquae phraſes indicatae.

De vi medica, quam mythologia, et vero maxime Hebraica rori tribuit, Jeſ. XXVI, 19. ſupra pag. 50. 51. dictum.

Eſt et alia de rore fabula Orientalis, locum, ubi ſanguis effuſus eſt, vindictam poſcens, rore non conſpergi, donec ultor ſanguinis eam exegerit. Vide chreſtomathiam Arabicam p. 71 *in hac montis fiſſura* لقتيل دمه ما يُطَلّ *jacet exſtinctus cujus ſanguis non*

irroratur, i. e. vindictam adhuc flagitans, cujus ultionem is suscipit, cujus carmen est: et p. 78. *nullus ex nobis nobilis morte naturali moritur*, ولا طُلَّ منّا *nec ros cadit in locum ubi ex nobis est occisus*, vindictam enim poscit, nosque eam paramus. Tebrizius ibi: *non otiosus est et sine vindicta.* Jam intelliges verba Davidis, 1 Sam. I, 21. *montes Gilboae* אל טל ואל מטר עליכם, *nullus super vos ros! nulla pluvia!* Sauli et Jonathanis sanguis vindictam poscit, eamque promittit David: *ros ne cadat in montes, in quibus illi occubuerunt, donec eos ultus sit.* Vide et c. XXI, 10. 11. ibique ad versionem germanicam notata.

914. טען *confodit* Jes. XIV, 19.

Neutiquam verbo negaverim *onerandi*, quam cum Syriaco communem habet notionem, sed ea huic quem indicavi loco parum apta, nisi multa arte utaris, qua haud opus esse censeo. Arabibus طعن simpliciter est, *confodit hasta*, superestque hujus notionis et in Chaldaismo vestigium, cui טען inter alia, *pungere, transfigere, perforare.* Notarunt id jam biblia Halensia. Ergo מטעני חרב recte vertes, *confossi gladio*, praeiveruntque LXX ἐκκεκεντομένων, Chaldaeus linguae beneficio verbum retinuit, Syr. et Vulg. paraphrastice, occisorum. Nec haec sub unam notionem cogenda verba, duo enim fuisse videntur, طعن *confodit*, et, sed quod periit Arabibus, reliquis servatum dialectis طغن *oneravit.*

915. טפח *plenus fuit, perfecit, peperit, educavit.* Jes. XLVIII, 13. Thren. II, 22.

Verbo non nisi bis obvio ex lexicographis haud pauci primam vim *expandendi, dilatandi* dederunt, unde et multi Jes. XLVIII, 13. וימיני טפחה שמים ad seriem verborum satis apte, sed perquam inscite exque sola conjectura vertunt, *dextera mea expandit coelum.* Si quid pro hac

hac significatione dici potest, collegit, sententiamque peroravit *Schröderus de ornatu mulierum Hebr.* c. XVI. p. 255. vocabulum, de quo infra dicemus, מטפחת, explicaturus. Haec quidem significatio mere conjecturalis est, merum somnium etymologicum, nullo linguarum orientalium usu, nulla veterum interpretum auctoritate firmata. Nempe sic hi intra animum sibi occinebant: טֶפַח est mensurae nomen illi aequalis, quae Latinis, *palmus*, dicitur, palmus est passa et expansa manus, (quamquam vel hoc inficias iri possit, sunt enim quatuor digiti) ergo טפח ex prima origine est, ut apud Latinos, passa manus: ergo verbum, a quo mensura quatuor digitorum dicta, ex prima vi significat, expandere. Hac nisi via ad hunc significatum devenerunt, monstretur mihi alia! Sed jam et nova conquirebant in patrocinium susceptae notionis argumenta, maxime diligentior reliquis, inque etymologiis elaborans, Schröderus, de quibus deinceps.

Duo quidem huic notioni opposui argumenta, de quibus seorsim dicendum:

1) nullam linguam orientalem eam habere. Primo opponit Schröderus, sola ille lexici fide, Syriacum ܛܦܚ, *expandit:* Castellum autem inspiciens, intelliges, solo hanc significationem loco Jes. XLVIII, 13. niti, ubi pro Hebraico טִפְּחָה positum, verti quidem solebat, *expandens coelum*, sed lexicis modo Hebraicis obsequiose, at certam notionem Syriaci ܛܦܚ aliam omnino esse, *humectare:* deinde verba in subsidium vocat, sed aliis literis scripta, Aethiopicum ספח, Arabicumque صفح *latus fuit*, unde et apud Giggeium الكف صفح *latitudo manus*, idem quod טפח. Est hoc quidem posterius satis dictum verisimiliter: sed fac, טפח *palmam*, idem esse origine, quod الكف صفح, literarum צ et

et ט permutatione, (quamquam raro solent pro צ Arabum Hebraei ט habere, sed potius צ pro ط Arabum amant) non inde consequetur, טפח propria vi et prima esse, *expandere*, *dilatare*, sed potius, hanc vim ex confusione cum alio verbo, cognatum sonante, accepisse.

2) nullam versionem antiquam hanc notionem praeivisse, solo ingenio sola conjectura duce inventam. Sed video, melius versiones veterum et dilucidius explicari posse, si antea, quid טפח ex usu linguarum sororiarum significet, praemiserim.

Arabibus quidem طفح *plenum* et *redundans* significat, ut apud Golium, *plenum ad redundantiam fuit vas*, et transitive, *replevit, ita ut liquor efflueret*, *plenum et integrum peperit foetum*, in octava, *exundare*, *ebullire coepit*, *olla* (q. d. plena et plus quam plena fuit) ad quas significationes et nomina redeunt, apud Golium legenda, e. g. طُفْحَان *plusquam plenum*, *redundans vas*: apud Syros ܛܦܚ est, *humectare*, ab effusione et redundantia, ut puto, Chaldaeis quoque טפח *humidus fuit*, in Pael *humectavit*, atque etiam *absterfit*. Alias *percutiendi*, *plaudendi*, *complodendi* notiones, quas verbum apud Chaldaeos Aethiopesque habet, denominativas a טפח *palmo* puto, de quo deinceps. Prima vis verbi in *pleno*, et *complendo*.

Jam haec ex linguis Orientalibus comperta habens, feliciterque satis ea ignorans omnia, quae lexicographi, interpretesque recentiores prodiderunt, quis non

1) Jes. XLVIII, 13. וִימִינִי טִפְּחָה שָׁמָיִם sic intelligat, *dextera mea perfecit coelum?* Caeterum cum hic verbum טפח opponatur, *fundando* (manus mea fundavit terram) suspicari possis, perficere esse, *tectum imponere*, idque prope certum collato dicto parallelo 1 Reg. VI, 9. מִמַּסָּד עַד הַטְּפָחוֹת quod duce filo orationis vertendum putem, *a fundamento usque ad tectum.* 2)

2) Thren. II, 22. אשר טִפַּחְתִּי quis non exponat, (inter haec enim duo ambigi possit) *quos peperi*, aut, *quos educavi*, (proprie, ad plenam aetatem et staturam enutrivi) quae educandi notio Chaldaeis frequens. Sic quidem hoc loco praeivit Vulgata: *educavi*. Sic et ex ea lectione, quam Theodoretus in suo commentario interpretatur, (mirum! neglecta editoribus Graecae versionis) ἐξέθρεψα, καὶ ἐπεκράτησα, καὶ ἐπλήθυνα, *enutrivi, et corroboravi, et multiplicavi*. Editiones ἐξέθρεψα omittunt, ipsum tamen ἐπεκράτησα erit, *corroboravi*, (sed aliter Arabs intellexit; مسكت *prehendi*, de quo deinceps. *Educare* etiam habet in suo lexico Kimchius, exque eo non pauci, usum secutus linguae Chaldaicae.

Jam et videamus quid his locis veteres, praeter eos, quos ut consentientes jam attuli, Syrumque in Jesaia ipsissimum ܛܦܚ retinentem, habeant.

1) LXX in Jesaia, ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν, *firmavit coelum*: ex mera, ut puto, conjectura, est enim perquam indoctus Jesaiae interpres, nullo linguarum orientalium usu.

2) ibidem vulgata, *mensa est coelum*, ex elegante satis Hieronymi conjectura, qui pro denominativo a טפח *palmo*, habebat, *palmo metiri*, nec tamen apta ad praecedens, *fundavit*, terram, oppositione aut relatione.

3) ibidem Chaldaeus, *robore meo* תְּלֵית *suspendi coelum*: forte ex conjectura, aut quod ad מטפחת, *velum* nonnullis visum, referret.

4) In Threnis LXX. ut dixi ἐπεκράτησα, quod Arabi est, مَسَكْتُ *prehendi*, i. e. gestavi manibus. Sic denominativum foret a טֹפַח palma. Sic et Raschi in commentario.

5) ibi-

ς) ibidem Chaldaeus, לְפַפִּית בסדינין *quos involvi findone.* Videtur ad מטפחת retulisse, *velum*, indeque fascias aliave infantum involucra dicta putasse.

Ergo horum certe nullus de expansione cogitavit, recentiorum invento.

916. טִפֻּחִים Thren. II, 20. *educatio?* an, *partus?*

Et de hoc ἅπαξ λεγομένῳ ex supra dictis sententia ferenda: עללי טפחים erunt, sive, *parvuli partus*, i. e. quos enixa sum, sive, *educationis*, quos nutrivi, educavi, et ad firmatam aetatem perduxi. Sic fere LXX θηλάζοντα μαστούς.

Alii aliter: recentiorum plerique, ad טפח *palmum* referentes, *manibus gestatos* intelligunt, (parum verisimiliter, *palmis*, i. e. quatuor digitis, pueri non gestantur) Chaldaeus et hic *parvulos* habet *qui sindonibus sericis involvebantur*, Vulgata, *parvulos ad mensuram palmae*, in quo sententiam agnoscere est Rabbinorum, sed melius ac prudentius ab Hieronymo suam factam. Thalmudici in tractatu Joma et Sanhedrin de Doego filio Josephi, paulo ante excidium Hierosolymae ultimum mortuo, explicant, *quem mater singulis diebus palmo mensa est, templo illatura aureos pro ejus incrementis*, et tamen carissimum filium fame urgente comedit. Mire Syrus, ܝܠܘܕܐ ܕܡܬܛܦܚܝܢ *natos qui percutiebantur*, vel, *allidebantur:* ex sua ille lingua, cui ܛܦܚܐ, teste Bar Bahalul, inter alia est, *pulsatio*, nempe ܛܦܚ pulsare denominativum a טפח palmo, ut *palmas dare* Latini dicunt.

917. טֹפַח et טֶפַח *palmus* Exod. XXV, 25. XXXVII, 12. 1 Reg. VII, 26. 2 Paral. IV, 5. Ezech. XL, 5. 43. XLIII, 13. et figurate, Pf. XXXIX, 7.

Mensurae et naturalis, plerisque gentibus commune, nomen, et civilis, *quatuor digitorum*, nec Judaeis id credo, aut interpretibus, sed

ſed locis codicis Hebraici claſſicis: craſſities enim maris aenei 1 Reg. VII, 26. 2 Paral. IV, 5. טפח eſt, eademque Jerem. LII, 21. *quatuor digitorum*, ארבע אצבעות. Hinc et Hieronymus Exod. XXV, 25. in Vulgata *quatuor digitos* vertit, idemque ad 1 Reg. VII, 26. *groſſitudo trium unciarum:* nempe uncia pollex eſt, (vide Gesneri theſaurum) tres autem pollices quatuor digitis aequales.

Quot grana hordei digitus habuerit, ex Judaeis non repeto, harum enim rerum ne hilum quidem illis credo, nimis recentibus, quam ut poſt ſecula, reique publicae everſiones ac deportationes, menſurarum ante exſilium Babylonium, atque adeo Moſaicarum, teſtes eſſe poſſint. Adcuratam menſurae hujus, quatenus civilis eſt, quantitatem ignoro, ſola naturali, erratica licet, contentus. Arcte compone quatuor erectos manus digitos, hunc palmum dicunt Latini.

Hunc autem ipſum palmum Hebraeis טפח dictum putem, non ab expandendo, quae fictitia eſt verbi ſignificatio, atque, ut videtur, ab ignaris menſurarum excogitata, palma enim, i. e. quatuor digiti alter alteri preſſe adjunctus, minime ſunt expanſa manus, ſed a טפח *plenus fuit*, *plena*, nempe, *manus*, tota manus quatuor digitis conſtans.

In hac quidem menſura cum multum erratum ſit, paſſim etiam a veteribus, ſed et a recentioribus, ut nuper admodum a *Jeſaia Silberſchlag P. II. p. 61. geogoniae*, navigium Noachicum capacius, quam eſt, reddituro, dicendum et de antiquis interpretibus exiſtimo. Ergo טפח

1) παλαίστη vel παλαιστής LXX interpretibus. Eſt ex uſu linguae, *palma*, refertque etymologicum magnum ad πέλας, *prope*, quod quatuor digiti proxime juncti palmum faciant. Poſſit tamen et *pugnus* ex etymo eſſe, a παλαίω, luctor, alia omnino proditura menſura. In pſalmo 39 παλαιὰς verterunt טפחות. Plures

significationes nomen habuisse videtur, aut lexicographi, mathematum forte ignorantia, mentiti sunt: Svidas quidem T. III. p. 7. παλαιστὰς interpretatur, *spithamas*, quae sunt palmo triplo majores.

2) Σπιθαμὰς interpretatur Symmachus Ps. 39. Spithamam *maximum ab exporrecto pollice ad exporrectum digitum minimum spatium*, tribus fere palmis, seu XII digitis aequale esse, supra p. 654. monui, et quisque sua se manu metiens experiri poterit. Errabatne, ut saepe philologis in re mathematica accidere solet, Symmachus? $\frac{1}{3}$ cum 1, confundebat? Si erravit, non solus erraſse videtur, namque et

3) Arabs, et vero illis in libris, qui ex Graeco Arabici facti sunt, ut 1 Reg. VII, 26. Ezech. XL, 5, 43. XLIII, 13. graecum, παλαίστη, فِتْر reddidit: est autem فِتْر *intervallum inter coryphas pollicis et indicis utriusque exporrecti*, quod tuis manibus metiens aequale spithamae (ab extremitate pollicis ad extremitatem minimi digiti) invenies

4) Arabicae pentateuchi versiones habent مِقْدَارُ قَبْضَةٍ *mensuram pugilli*, a قَبَضَ *manu prehendit:* quod est Hebraicis obscurius, potest enim pugilli mensura dupliciter aestimari.

5) Chaldaei et Syri ubique פִּשְׁכָּא, פּוּשְׁכָּא, ܦܫܟܐ. Rabbinis id sine dubio sextam partem cubiti Rabbinici majoris, i. e. palmum, notat, tabernaculum enim conventus 60 פשכין in altitudinem habuiſse volunt (*); at Syrorum lexicographi spithamam inter et palmum divisi: *palmus*, inquit Castellus, *spithama, al. lichas, seu intervallum inter pollicem et indicem extensos.* Habent inde verbum denominativum, ܦܫܟ *plaudere.*

Ex-

(*) vide Buxtorfii lex. p. 1862.

Excerpſi veteres, ſicet parum momenti faciant, ipſi ſaepe diſcordes, palmumque inter et ſpithamam ambigui: quod quidem ex ambiguitate fluxit latini, *palmus*. Nempe, ut jam ſupra p. 654. monitum, duplex palmus erat, minor, quatuor digitorum, major duodenorum, ſeu ſpithama. Caeterum טפח biblicus ſine dubio palmus quatuor digitorum, (pag. 1018.) atque a זרת ſpithama diſtinctus, Ezech. XLIII, 13.

Venit aliquando in mentem, טפח eandem quidem menſuram eſſe, quae Latinis palmus dicitur, nec tamen proprie *quatuor digitos*, ſed *ſpatium a radice manus, usque ad ejus ſub digitis curvaturam*, aequali cum illis menſura, idque loco Ezechielis XL, 5. perquam videbatur aptum, haec enim pars manus cubitum excipit. Poſſit et ſatis bene a lavando dici, *lotoria*, ea enim manum alteram lavamus. Sed de hoc alii viderint.

918. מטפחה Jeſ. III, 22. Ruth. III, 15.

Docte de hoc vocabulo et copioſe egit Schröderus, de veſtitu mulierum Hebraicarum c. 16. inque ſententiis aliorum colligendis otium mihi fecit: in rei ſumma proximi, non iidem ſumus. Ipſi quidem *pallium* eſt, mihi HIK (حيك) Arabum, a Shawio, in itinerario p. 196. verſionis germanicae deſcriptum, *pannus ſeu velum quadratum, ſatis magnum, reliquis veſtibus totique corpori circumvolutum, in quo et noctu dormiebant*. Dicunt et שמלה ac בגד Hebraei, quae nomina ſintne plane ſynonyma, an aliqua re diverſa, poſt tot ſecula ſeu potius millennia inquirere haud auſim. Id quidem ex Ruthae hiſtoria video, eam cum proxima Boazo cuberet, מטפחה involutam fuiſſe, hancque non veſtem eſſe corpori aptam, aut in qua domum regredi neceſſe eſſet, ſed pannum, tantae capacitatis ut ſex hordei menſuras, (Seas fere putant, ego malim homeros) continere poſſet. Ex uſu linguae Thalmudicae, eodem docente Schrödero, nomen ſignificat,

lintea ad abstergendas manus, *itemque ad abstergendum corpus in balneis*, quae quidem quid aliud sunt, quam panni majores, totum corpus involventes: hinc et involucra librorum atque instrumentorum Thalmudicis dicta? Proximi mihi, sed aliis verbis utentes, LXX in Jesaia, ἐπιβλήματα κατὰ τὰς οἰκίας, (vela domestica) inque Ruthae libro τὸ περίζωμα τὸ ἐπάνω σου, vertentes. *Pallium*, quod Vulgata habet, Schröderusque, forma diversum.

Nomen ductum videtur a *plenitudinis* notione, *plenamque vestem* significare, eam nempe, quae reliquas omnes involvit. At perquam infeliciter, a palma, seu passa manu derivantes Judaeorum multi, *chirotecas* interpretati sunt: mire, locum in quo occurrit alterum, Ruth. III. non cogitantes. Tantaene fuerint elegantis feminae chirothecae ut VI. hordei mensuras caperent?

919. טפל, *elaboravit*, *concinnavit.*

Verbum ter obvium Job. XIII, 4. XIV, 17. Ps. CXIX, 69. de cujus significatione in duobus locis satis constare poterat, sed de prima maxime ambigitur: plerisque lexicographorum, ex Kimchio, *adjungere*, *adhaerere*, sumentibus, Schultensio in commentario in Jobum, *oblinere*, *incrustare.* Nec quisquam linguarum Orientalium peritus alterutram notionem repudiaverit, sed praeter eas et aliae se, maxime sub verbo Arabico offerunt, quas difficile est sine artificio in unam cogere. Ergo de etymo quaestionem primo intactam relinquentes, certa praemittamus, nec nimio, ut alii fecerunt, etymologiae studio, quae lucem praeferre debebat, tenebras offundamus.

Certum et indubium, טפל esse, *elaborare*, *concinnare*, studio, atque arte. Sic Arabes, quod ex eorum lexicis a Cromayero et Schultensio adlatum, طفّل الكلام *elaboravit*, *cum cura instituit sermonem*, habet et Thalmudica lingua *laboris*, *curae*, *operam dationis* notio-

notionem, cujus exempla dabit Buxtorfianum lexicon p. 903. Jam quis Job. XIII, 4. legens טפלי שקר, non vertet, *elaborantes*, *arte conquirentes et comminiscentes mendacium?* (pro quo, nimio etymologiae amore Schultensius *incrustatores fuci* posuit, displicens in versione, si vel verum etymon esset) et Ps. CXIX, 69. טפלו עלי שקר *artificiose concinnant contra me mendacia?* Aegre fero non omnes antiquos praeivisse, honoris tamen caussa, et confirmationis, eos qui praeiverunt, indico: Job. XIII, 4. Vulg. *fabricantes mendacium*, Chaldaeusque cum hic, tum Ps. CXIX, 69. חבר *concinnare*, *componere mendacium.*

His ergo locis secundaria certe significatio satis clara, de tertio, Job. XIV, 17. et de etymo, versatilis quaestio, quam antequam adgrediamur, colligamus notiones quas sub iisdem literis radicalibus reliquae habent Orientis linguae, easque in suas, si fieri possit, classes redigamus.

1) طفل de sole ponitur, cum sive *oritur*, sive *ortui aut occasui est vicinus*, quo et refero, *tenebrescere coepit nox.* Forte ex hac notione ductum, quod habent sub conjugatione secunda, *importunus ac molestus fuit visitatione multa et intempestiva*, q. d. mane et vesperi venit, indeque in quinta, *non invitatus ad convivium venit.*

2) Alia notio, quam quomodo cum priore ad unam primariam referam, nondum expedio, طفولة *mollis ac tenera aetas*, (num a matutino tempore ita dicta?) طفل *adolescentia*, طفل *mollis puella*, Chald. טפלא infans, indeque denominativum, اطفل *gravida fuit.* Ad hanc notionum classem et retuleris, طفل *tener*, *ac molli corpore fuit*, in 2. *leniter ducti fuerunt cameli.*

3) Ab ambobus abludit Thalmudicum, cujus exempla accipe a Buxtorfio, *consuere*, *oblinere*, *conjungere*, *consociare*, unde et טפילה

crusta, *tectorium parietis.* Suspecta notio videri possit, et a Rabbinis ex interpretatione locorum biblicorum conficta, suaeque linguae illata, nisi aliquid ejusmodi aut cognati et Arabia haberet sub طَفَّال *lutum siccum.* Haec tamen, ut supra diximus, primaria Schultensio visa significatio, unde et Job. XIII, 4. nimis etymologice, *incrustatores fuci*, reddidit. Hinc et locum, de quo adhuc quaerimus, obscuriorem, Job. XIV, 17. vertit, *allinis ad iniquitatem mihi*, pro, calumnias contra me ac falsa crimina conquiris.

Mihi quidem de hoc ipso loco nondum liquet, ac ne constat quidem, sitne ותטפל על עוני, in bonam an malam partem accipiendum, quod quidem ex varietate pendet lectionis praecedente. Vide notas ad versionem germanicam, bibliothecamque orientalem T. VIII. p. 238. 239.

In malam partem si accipias, *allinis* Schultensianum locum habere possit, quamquam mallem demta figura, *addis* criminibus meis nova crimina: Chaldaeus תְּחַבַּר *adjungis.* Sic fere Chaldaeus, sed sequior Deut. I, 1. טפלתון עלוי מילי שקרא *assuistis ei verba mendacia.* Vix tamen aliquid tam a Jobo inverecunde in Deum dictum: nec suspicione caret interpretatio ex solo linguae Rabbinorum usu confirmata, reliquis prope incognita linguis orientalibus.

In bonam si partem accipias, velisque Schultensiano etymo ac lingua Thalmudica uti, vertere possis, *oblinis iniquitatem meam*, i. e. condonas, quo tamen ipso de etymo cum dubitare nondum desierim, malim ex Arabica طفل, *caliginem et tanquam noctem culpae meae induces.* Nondum liquet.

Licetne, antequam obscurius verbum missum faciamus, et ea colligere, quae veteres habent, nondum adlata.

Job. 13. Symmachus, προστίθεσθε ψεύμασιν, ex *adjungendi* notione Thalmudica, illi jam nota.

Ibidem LXX. ἰατροὶ ἄδικοι. Videntur et hi *confuendi* notionem verbo tribuisse, eamque ad medicos transtulisse, favente atque adeo invitante sequentis hemisfichii parallelismo, in quo רֹפְאֵי legitur.

Ibidem plane ex conjectura Syrus, ܡܡܠܠܝܢ ܫܘܩܪܐ *loquentes mendacium.* Aut ex solo conjecit filo orationis de verbo ignoto, aut liberius, *loqui mendacium*, pro, *elaborare, concinnare mendacium posuit.*

Ps. 119. LXX. ἐπληθύνθη ἐπ' ἐμὲ ἀδικία, Syrusque, forte ad illos a Jacobo Edesseno castigatus, id vero est, corruptus, ܣܓܝܢ; *multiplicata est contra me injustitia.* Conjectura indocta, indocti interpretis.

Hieronymus ibidem, *applicabunt mihi mendacium.* Rabbinica consociandi, adjungendi notio, a magistro accepta.

Job. 14, quem locum maxime dubium dixi, LXX. ἐπισημήνω εἴ τι ἄκων παρέβην, *adnotas, si quid imprudens deliqui.* Forte et hi ab *addendo* putarunt *adnotare dictum.*

Syrus ibidem, ܐܥܒܪ ܡܢܝ *remove a me peccata mea*, ex mera conjectura.

Manifesta veterum, non discordia modo, sed et ex ignoratione orta conjiciendi necessitas. Latet aliquid, nec conjiciendo exquirere velim, sed his relinquere, qui post me linguas Orientales, uberioribus forte ex fontibus haurient. De etymo disputare non audeo, ad quod tres significationes supra adlatae referri possint, tertiam adeo Rabbinico-Thalmudico-Chaldaicam, suspectam habens, utcunque illa late in lexicis regnarit. Nec eam nego, sed antequam suspicionem mihi excuti-

cutiam, cum linguarum cognatarum usu in amicitiam redigi, confirmarique aut illustrari ex illo cupio.

920. טפסר nomen dignitatis barbarum, Jerem. LI, 27. Nahum. III, 17.

Tam varie verterunt veteres, ut manifestum sit, eos vocabulum peregrinum, bis admodum in codice Hebraico lectum, non intellexisse. Nempe habent, in Jeremia quidem LXX, *βελοστάσεις*, quod Arabs interpretatur, *aggeres ad contorquendum jacula:* Syrus ܐܦܣܪܐ *exitium*, Chaldaeus *bellatores*, Vulgata nomen *Taphsar* retinente. Hi sibi in loco Nahumi ita dissimiles, ut utrobique conjecturam, non certam sequuti sententiam videantur: LXX, *συμμικτός σου* (*miscella turba*, *exteri tibi mixti*) Syrus, *bellatores tui*, Vulg. *parvuli tui*, (ac si esset a טף num. 922.) Chaldaeo טפסריך retinente.

Mihi videtur peregrinum, et vero, nisi ex alia lingua opem feras, Persicum esse, patrique meo omnino adstipulor, in notis ad Jeremiam de satrapis cogitanti. Nec lectionem mutari, non, codice nullo suffragante, סטרף scribi velim, memor, exotica nomina saepe mutari in novae atque alienae linguae civitatem recepta. Ipsum vocabulum Persicum, sed obsoletum, poetisque modo in historia antiqua usurpatum, his literis ستَرَب a Castello scribi video, lexici Persici pag. 330. Graeca ergo scriptio, *σατράπης*, propius ad Persicam pronuntiationem accedit, quam Hebraica, nec id mirum, Hebraeis enim ante Persarum dominationem per Assyrios modo ac Babylonios adventitium erat, illis in libris, qui sub Persis scripti sunt, non occurrens: Graecis multa cum Persis consvetudo.

Simonis quoque in lexico cum Persico *satrapa*, contulit, sed male addens derivationem ab Arabico طفّ *sublimis fuit*, et Hebraico

שׂר

שׂר princeps: Perficum fi eft, nec Hebraicum etymon nec Arabicum habere poteft.

921. טָפַף *conftrinxit*, *colligavit*. Jef. III, 16.

Verbum in Hebraico codice ἅπαξ λεγόμενον fed fatis Arabibus frequens ac plures in eorum lingua fignificationes habens, quae quomodo ad unam referri primariam poffint, jam non difputo, Hebraicorum, non Arabicorum lexicorum fupplementa fcribens, nec ftudii etymologici, nifi ubi fe aliquid probabile ultro offert, cultor. Eft quidem inter alia et, *agilis fuit*, quod placuiffe video Schrödero p. 127. eximii de veftitu mulierum Hebraicarum libri interpretato, *agiliter*, *minutisque paffibus incedere*. Mihi aliter videtur. Eft طَفَّ fine dubio et, *ligare*, maxime de *pedibus jumentorum fune colligatis* poni folitum: jam cum idem Schröderus capite I et VIII. eximii operis multis teftibus perfecerit, in ornatu puellarum et catenulas crurales fuiffe, quibus pedes colligabantur, (quo de ornatu ad cuftodiendam excogitato pudicitiam plura in antiquitatibus Hebr. difputare foleo) fequaturque in altero verfus membro, וּבְרַגְלֵיהֶם תְּעַכַּסְנָה *in pedibus fuis compedens gerunt*, malim praecedens הָלוֹךְ וְטָפוֹף תֵּלַכְנָה vertere, *conftringendo* (pedes fuos) *eunt*. Haec cruralis catena cum greffus aequet, nec poffint, quibus pedes conftricti, nimis magnos greffus facere, (quibus figna virginitatis perire, finxerunt Rabbinorum aliqui) factum ut טִפֵּף Thalmudicis fit, *aequare*. Hinc et aliqui a Kimchio citati, ut jam monuit Coccejus, in Jefaia verterunt, *aequato greffu incedunt*, in fumma quidem fententiae mihi proximi, fed confequens pro antecedente ponentes, et loco Arabicae linguae utentes Thalmudica, ex ipfo Jefaiae dicto fumta.

A ligando et טוֹטָפוֹת redimicula feu vittas frontis nomen accepiffe, fupra dictum.

Liceat et aliorum adferre ſententias,

1) Judaeorum aliqui, *parvos greſſus faciunt, ut infantes.* Nempe denominativum volunt a טף, re proximi illis, qui aequare greſſus vertebant, etymo diverſi.

2) LXX. *τῇ πορεία τῶν ποδῶν ἅμα σύρουσαι τοὺς χιτῶνας, ut pedibus incedunt, ita ſimul trahentes tunicas.* Hoc quidem quo modo, qua arte ex Hebraicis effici poſſit vix video, nec quid voluerit interpres, ſi modo quae ſcribebat cogitatione complectebatur, adſequor, quid enim in eo reprehendendum, quod virgines incedentes tunicas ſecum trahunt? dimiſſisne tunicis nudas incedere velit, qui haec prophetae obtrudere auſus eſt? Sed de LXX in Jeſaia non laborandum. Nullus totius codicis ſacri liber tam habuit indoctum interpretem, quam Jeſaias, ſolis exceptis pſalmis.

3) Syrus habet, ܡܛܦܙܢ *laſcivientes pedibus.* Hic quidem incertum, utrum male deſcriptus ſit, pro ܡܛܦܦܢ eodem verbo ſervato, an ex quorundam Rabbinorum traditione ac ſententia interpretatus ſit, qui volunt טפף eſſe, *ludere, ludere more puerorum qui* טף *dicantur*, luſumque de laſcivia, ut hi ipſi quidem Rabbini, atque voluptate ejusque ſtudio interpretatus ſit.

4) Aliqui Rabbinorum fingunt, denominativum verbum eſſe a טף *infans*, infantis autem nomine *nanos* ſeu *nanas* intelligi, filias Sionis, ut magnae ſtatura viderentur, duas inter nanas inceſſiſſe. Judaeorum ingenio dignum, nimis artificioſo, cui relinquamus. Pueri, puellae, infantes, non ſunt nani, nec virgines nanos nanasve ſibi adjungent, ut giganteae videantur, nec tot erunt nani nanaeve, (perquam rarum hominum genus, rarius etiam giganteo) at virgo una duas ſibi nanas adjungere poſſit. Leges tamen in commentariis, etiam chriſtianorum.

Excerpta Kimchiani lexici dedit Coccejus. De his ad eum ablego.

922.

922. טף *impuberes* &c.

Nota ſignificatio, de ſolo etymo dicendum, perquam dubio, ſed duplici ſe offerente. 1) Poſſit eſſe a טפף *ligare*, quod pueri puellaeque catenas crurales geſtarent, adulta demum aetate deponendas, quamquam ea vel ultra pubertatis initia, maxime tunc neceſſaria, geſtabatur. 2) Poſſit et conferri Arabicum اطفّ *foetum imperfectum et abortivum enixa eſt*, ſed quae notio quomodo cum reliquis verbi conjuncta ſit, ac tanquam cogi in cognationem poſſit, niſi verbum eſt a nomine טף denominativum, (primo generatim, infantem eniti) non adparet. Succurrunt et alia, ſed magis etiam incerta, ut poſſitne eſſe a طَفٌّ *complementum*, quaſi, *complementum familiae* N. L.

Latiore paulo ſignificatione, uxores etiam complexum, poni ut nomen generalius uxorum, filiorum et filiarum videtur, 2 Paral. XXXI, 18. בכל טַפָּם נשיהם ובניהם ובנותיהם.

Mire Graecus Pentateuchi interpres, non ſemper quidem, (vide enim Geneſ. XLIII, 7. Deut. I, 29. παιδάριον et παιδίον) ſed tamen his locis, Geneſ. XXXIV, 28. XLIII, 8. XLVI, 5. Exod. X, 10. 24. XII, 37. Num. XVI, 27. XXXI, 9. XXXII, 16. 17. 24. 26. Deut. XX, 14. ἀποσκευὴν *ſupellectilem*, *opes*, vertit, Syrusque 2 Sam. XV, 22. ܟܠܗ ܩܢܝܢܐ ܕܥܡܗ *omnia impedimenta*, *quae ſecum habebat*. Poſſent quidem et opes, et impedimenta, a complemento dici, nec tamen aſſequor, quid interpretes a conſveta hic verſione revocaverit, maxime Geneſ. XLVI, 5. Ignoſcant lectores, de hoc me vocabulo quaerere potius, aut quaerenda proponere, quam illud expedire.

923. טפשׁ Pſ. CXIX, 10. *pinguis*, *ſtultus fuit*.

Conſvetam verſionem, 1) *pinguis* 2) *ſtupidus ſtultus* fuit, Kimchio debitam, ex Chaldaiſmo eam confirmanti, veriſimillimam ha-

bens (*), dicendum tamen et de LXX. Vulg. Syro arbitror, *coagulatum est ut lac* (כֶּחָלָב) *cor eorum*, habentibus. Syris quidem ܛܢܦܘܬܐ *foeditatem*, *inquinationem* denotat, Arabibusque طفس cum derivatis, *sordes*, *spurcitiem*, Samaritanum טפש, Deut. XXXI, 29. pro השחית positum, esse creditur, *corrupit*: ergone טפש proprie *corrumpi*, unde et *foeditas*? lac vero corruptum, idem quod coagulatum? Non puto: displicet etiam imago impietatis aut stultitiae, a lacte corrupto seu coagulato petita; est et, quae sumitur, verbi Samaritani significatio dubia, nec certi quid de ea dari posse putem, nisi consulta versione Samaritano-Arabica, de qua liceat mihi publice etiam eum, qui saepe privatis votis benevole respondit, interrogare Clarissimum Fordium.

924. טרד Prov. XIX, 13. XXVII, 15. *continuus fuit.*

Veram significationem habent lexica, Kimchio accepta, qui et linguae Thalmudicae auctoritatem attulerat. Addidit Schultensius usum Arabum, atque etymon, sed utrumque paulisper mutatum meum facere velim. طرد Arabibus, quin et Syris (**) ܛܪܕ est, *impellere*, *propellere*, hinc quae continua sunt, dicuntur, quasi unum alterum semper propellat, insequatur, ut in Salomone gutta stillicidii guttam. Arabibus اطرد (in 4ta) *consecuta fuit res alia aliam*, طاردة مستطردة (debitum Schultensio) *consuetudo perpetua*. (Male tamen ex captato etymo in versione idem Schultensius, *stillicidium propellens*, quod Latine alia omnia significat).

925.

(*) Addiderim et ex Castelli lexico, طغنشة *pinguis*, *crassa natio*, sed dubitans.

(**) Act. XVIII, 16. pro Graeco ἀπήλασεν. Assem. bibl. Or. T. I. p. 25. in vita Ephraemi, *pater ejus* ܛܪܕܗ ܡܢ ܒܝܬܐ ܐܒܘܗܝ *domo eum expulit*: p. 353. ܐܬܛܪܕܘ ܡܢ ܐܘܪܗܝ *Edessa expellebantur.*

925. טְרִיָּה Jud. XV, 15. Jeſ. I, 6.

Lexica evolvens, ita inter, *recens*, *et humidus*, diviſa videbit, ut cui fidat, diffidat, quid probet, aut damnet, non inveniat, majore etiam veterum interpretum divergio. Solus in Judicum libro harmonice Syrus ܛܪܘܢܐ vertit, ſeu, ut ſcribendum arbitror aliis punctis, ܛܪܘܢܐ, ſed de cujus ſignificatione non conſtat.

Quod lexicographorum multi habent, *recens*, linguae Arabicae uſu confirmatur, cui طَرِيٌّ eſt, *recens*, verbum طري *recens fuit*, (exempli gratia Sur. XXXV, 13.) eſtque utrique loco ſignificatio perquam apta: de Judic. XV dicere ſuperfluum, in Jeſaia nova vulnera et recentia olim acceptis opponuntur. Vide verſionem germanicam. Volunt hanc notionem praeiviſſe in lexico Kimchium, linguae Arabicae auctoritate addita: res incerta, quod enim interpretationis loco ponit, לחה, utrumque, et *recens* et *humidum* ſignificare poteſt. Subjungit deinde, in Maſora notari: ב״ ואינון בתרי לישני, *bis occurrit*, *duplici ſignificatione*.

Contra alii Judaeorum *humidum* interpretati ſunt, atque et hoc in lexica immigravit commentariosque chriſtianorum. Praeivit in libro Judicum Chaldaeus, *in humore*, (בטינתא) vertens, quo de verbo vide Buxtorfii lex. col. 899. adnotantis, in libro aliquo medico, (Judaico nempe) *humorem qui egreditur ex plaga* טריה dici. Auctoritas nullius momenti, medici enim Judaeorum vocabulo ex ſua interpretatione Jeſ. I, 6. notionem dederunt. Sed major adferri linguae Arabicae poteſt, huic enim (omiſit Golius, ſed habet Giggeius exque eo Caſtellus) طري eſt, *humectavit*, *deſtillavit aquam ſuper aliquem*, indeque et, *unguento perfudit*.

Videtur utraque ſignificatio non modo vera eſſe, ſed et altera ex altera orta, quod recentes herbae ſolent ſucci plenae eſſe, veteres ari-

 dae

dae, unde et Avicennae, eodem notante, طري de *viridi* herba ponitur. Locis quidem Judicum et Jesaiae utra significatio aptior, interpretis est dispicere, non lexicographi, suo functi officio, si illum docuerit, utramque verbo competere.

Dicendum et de antiquis interpretibus, quorum nullus, *recens*, expressit. In Jesaia quidem satis concordes, LXX *φλεγμαίνουσα*, *plaga inflammata*, Vulgata, *plaga tumens*, Syrus ܡܚܘܬܐ ܕܫܘܚܢܐ *plagae tumorum*. Nempe humidam et tabe fluentem plagam sic interpretati sunt: quin et verbum Arabicum in XII conjugatione اطروري vertitur, *inflatus ventre fuit*, sed forte scribi debebat اظروري, cui haec significatio competit.

At majus in libro Judicum divergium. LXX ibi *ἐξεῤῥιμμένην* *projectam*, indeque Vulgata, *quae jacebat*. Legeruntne, an contra leges grammaticas confuderunt eum, טריחה? Arabs ميت, asini *mortui*, misera conjectura, quasi vero asini viventis arripere maxillam Simson potuisset.

926. טרח Job. XXXVII, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo utcunque ex derivato טֹרַח conjecerunt lexicographi. Arabibus quidem طرح est, *conjicere*, *injicere*, *abjicere*, *prosternere*, quarum significationum exemplorum satis invenies in Castelli lexico. Ex ea lucet, in quo tantopere laboratum est, Jobi יטריח עב *projicit*, *prosternit nubem*, i. e. totam effundit, ac procumbere humi facit.

Veterum in hoc versu vertendo nulla auctoritas, nulla omnino ratio habenda, cum ob summam inter se discordiam, tum quod linguarum Orientalium peritus ne volam quidem verbi טרח a plerisque versi in illis investigaverit. Adscribam tamen: LXX. ἐκλεκτὸν (בָּרִי) κατα-

καταπλήσει νεφέλη, his ergo טרח eſt, *implere*, quod quidem de nube dictum, poſſit eſſe *compluere*, ita ut *reſtagnet:* hi ergo a mea proxime abſunt verſione, forte idem ſentientes, ut eos, ſi velim auctores conquirere, nominare poſſim. Syrus, *expanduntur* (ܡܬܦܫܛܝܢ) *nubes*, ex mera, ut videtur, conjectura: Vulgata, *frumentum* (בְּרִי) *deſiderat nubes*, hac quoque *deſiderandi* notione divinatione, non puto Hieronymi, ſed magiſtri ejus Lyddenſis inventa, quem Jobo intelligendo ut opem ferret gravi aere conduxit. Chaldaeus מטרח retinuit.

LXX interpretes, quos Vulgata ſequitur, Judic. XV, 15. טריחה legiſſe videri, pro טריה, idque *ἐξεῤῥιμμένην*, abjectam, projectam vertiſſe, vixdum monitum: ſed nullius lectio codicis auctoritate confirmata, conjectura forte, ſive adeo lapſus interpretis, mali grammatici טרה cum טרח confundentis.

927. טֹרַח *onus.* Deut. I, 12. Jeſ. I, 14.

Moleſtiam vertere lexicographi ſolent, ex conjectura; utrique loco ſatis apte: eorum tamen memor, quae de praecedente verbo diximus, malis forte, *onus*, interpretari, ab *injiciendo* dictum, eadem manente ſententia.

928. טָרַף *diſcerpſit*, *laceravit.*

Notiſſima Hebraici verbi ſignificatio, et indubia: ſed alia Arabibus omnia denotat, quae quidem cum hac ſub unam revocare originem hic non tento. Supereſt tamen Hebraica verbi notio in طوارف *belluarum rapacium* nomine, de quo Schultenſius, ſed nimis artificioſe vertens, ad Prov. XXXI, 15. locum Camuſi excerpſit: الطوارف من السباع التي تسلب الصيد *ſic vocantur ferae quae praedam trahunt*, vel, *rapiunt.* Aramaeis, id eſt, Syris, Chaldaeis, Samaritanis, ſignificat, *percutere*, (omitto enim alia nihil ad nos facien-

cientia) unde, forte lacerandi notio Hebraica fluxit, frequens enim est *percutiendi* verbum de feris rapacibus, ut הִכָּה de leone.

Fuerunt qui et molliorem verbo *decerpendi* significationem decreverunt, ex ea Genes. VIII, 11. טָרָף *decerptum* explicaturi, Schultensioque in commentario ad Prov. XXXI, 15. *carpendi* notio primaria videtur, a qua טֶרֶף *escam* vult dictam. De טֶרֶף quidem statim videbimus: sed *carpendi* significationem satis firmasse non videtur Schultensius, quod enim Camusi locum supra allatum latine vertit, *carptrices vocantur e feris*, id quidem pro lubitu ille, suoque artificii etymologici amore nimio. Idem ex Geuhario adfert طَرَّفَ, *a latere exercitus eum adgredi*, confertque latinum, *carpere extrema agmina:* at manifestum, verbum ibi potius denominativum esse a طَرْفٌ *latus*: sunt et, *exercitum a latere adgredi*, et, *extremum agmen carpere*, perquam diversa. Ergo hanc carpendi decerpendique notionem ut incertam abdicemus: atque adeo si vel טרף *decerpere*, significaret, idque exemplo certo probaretur, haud tamen primam notionem putem, sed denominativam a טרף, *folium.*

929. טָרָף *recens*, Genes. VIII, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον non paucos ex conjectura vertere, *decerptum*, vixdum monui, quibus ex veteribus praeivit Chaldaeus, *folium olivae* תביר *fractum*, Arabsque مقطوعة. Meliores, ut mihi quidem videntur, ex usu linguarum Orientalium alii substantive *folium* vertunt, adjective alii *recens*, utrumque conjungente Vulgata, *ramum olivae virentibus foliis.* Nempe Chaldaeis טַרְפָּא Syris ܛܪܦܐ folium, quo vocabulo hoc ipso in loco uterque interpres pro עָלֶה usus; vide si plura cupis exempla, Schafii lexicon, et Assemani biblioth. Or. T. I. 34. Contra Arabibus طَرُفَ *nova fuit*, *recens prodiit res*, طَارِفٌ recens.

recens. Mihi quidem posterius sine dubio praeferendum videtur, cum enim praecesserit, עלה זית *folium olivae*, non potest iterum addi, *folium*, sed adjectivum, *recens*, vel *viride*.

Mire et prave LXX oppositum virentis folii habent, *κάρφος*, *aridum*, a *κάρφω arefacio*. Hoc qua arte ex Hebraico extuderint? antiphrasi? quam nonnunquam adsciscunt? an sola posuerint infelici conjectura? non expedio.

930. טֶרֶף *folium.*

Ἅπαξ λεγόμενον Ezech. XVII, 9. Quae de praecedente vocabulo ex lingua Syriaca Chaldaicaque attuli, huc rite transferri possunt. LXX. de altera significatione recens orti cogitarunt, *προανατέλλοντα* vertentes.

Fuerunt et ex veteribus, qui notam folii significationem ad טֶרֶף Genes. XLIX, 9. transferrent, male illi quidem, sed tamen מטרף בני עלית LXX verterunt, *ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης*, *ex surculo*, *fili mi*, *succrevisti* i. e. *a parvis initiis magnus factus es*, quibus in verbis mira de Christo somnia et mysteria lusit Theodoretus.

931. טֶרֶף Ps. LXXVI, 5.

Vocabulum perquam dubium, multiplici se offerente interpretatione. Verba sunt, ex vulgata lectione נאור אתה אדיר מהררי טרף *splendidus tu es*, (i. e. effulges, sive proprie accepto verbo, sive figurate (*)) *tu potentissime ex montibus* Teref. Hic quid טרף?

1) Ex-

(*) Possit proprie accipi verbum, si tempore psalmi templum jam conditum: ex legibus enim physicis certo consequitur, in tecto templi spiculis magnis ferreis, auratis, dense consito, quoties electricus aër esset, radios electricos effulsisse, ac late lucem sparsisse. Vide quae hanc in rem Lichtenbergium inter et me literis perquam amicis quaesita et disputata sunt in, *Göttingischem Magazin*, anni tertii, parte 5, n. 6. p. 735 seqq.

1) Explicant fere, *montes praedae*, i. e. lustra ferarum, in quibus hae habitant, aliaque animalia dilacerant. Displicet. Montem Sionem, non silvam sed urbis in modum habitatum, lustris ferarum comparare nolim, nec ulla cognatione praecedentis, *effulges ex montibus praedae*, tenetur.

2) طرف inter alia est, *noctu aliquid facere.* Quid si, *fulges tu potentissime ex montibus nocturnis*, i. e. noctu effulges? Per noctem radii electrici, quos sacrum ignem, quos Castorem et Pollucem Latini dicere solent, micant. Sed hoc totum concidit, si figurate, *effulges*, accipies, nec lucem proprie sic dictam electricam admittas.

3) Idem dicendum, si طَرْف *scintillam* conferens, *montes scintillantes* (sacro igne micantes) intelligas.

4) طَرْف est et, *nobilis.* Montesne *nobilitatis*, i. e. nobiles intelligas?

5) طَرْف *latus*, *ora*, *extremitas*, geographis de montibus poni solet, ut Abulfedae, e. g. p. 101. Syriae, Tripolim sitam esse dicit, على طرف داخل في البحر *in latere montis procurrente in mare*, i. e. promontorio. Suntne הררי טרף summa latera montium in quibus sita Hierosolyma, Sion et Moria?

6) طرف, denominativum a latere, est et, *repellere.* Suntne montes hostem *repellentes? invicti?* Sic quidem Arabes repellendi verbis uti solent.

7) ܛܪܦ Syris *turbare*, et ܛܘܪܦܐ *conturbatio?* Suntne montes *tremendi*, et *terribiles?*

Non inopia laboratur, sed copia interpretationum, ita verisimilium, ut ex sex posterioribus quaelibet, modo sola incederet, locum egregie tueri posset. Has inter arbiter esse vix ausim, nec jam vacat, quo

ex

ex fonte unico tam diverſae ſignificationes prodierint etymologico acumine perſequi: id unum certum videtur, conſvetam verſionem, *montes praedae*, nulli ſequentium parem, eſſe repudiandam.

932. טַרְפְּלָיֵא nomen gentis barbarae, incertum, cujus?

Semel occurrit Ezr. IV, 9. inter nomina gentium barbararum, ex quibus colonias in Palaeſtinam duxerunt reges Aſſyrii. Certi nihil habeo, nec niſi conjecturas, cum meas tum aliorum colligo, interdum et judicare audeo.

Tapyros, nominis aliqua ſimilitudine ductus, intelligebat Junius: quosnam vero? pluribus enim nomen commune. Praeplacerent forte Tapyri, de quibus Ptolemaeus, Choromitrenae fines deſcribens, p. 148. ἀρκτικώτεραν ἔχουσα τὴν Ἐλυμαΐδα, ἧς τὰ πρὸς ἀνατολὰς κατέχουσι Ταπουροί. Nempe hi Tapuri Elymaeis, in hoc ipſo verſu memoratis, orientales. Litera tamen L nomen deſtituitur, dubitarique poſſit, hinc Tapuri unquam ſub ditione Aſſyriorum fuerint.

Apud Strabonem l. I. p. 757. occurrunt, ſono utcunque concinentes, Ταρπῆτες, ad paludem Maeotidis, Sindos inter et Sittacenos. Poſſit pro his dici, in vicinia eorum eſſe alias gentes, quarum in hoc verſu nomina invenire, ſi velis, poſſis, Σιττακηνοὺς, Ἀρριχούς. Regio ſine dubio Aſſyriis paruit, in eandem Iſraelitarum colonias deducentibus.

Male Hillerus *Tauropylaeos* (monſtrum vocabuli) intelligebat, a Tauri Pylis, illis ipſis Ciliciae faucibus, quas Alexandri victoria nobilitavit, dictos. Taurus mons ſine dubio Syris ܛܘܪܘܣ, ſed ſemper cum Vau, *Pylarum* autem nomen graecum, quis ſub Perſarum imperio, ſive adeo ſub Aſſyriorum, colonos deducentium, cum Tauri nomine compoſitum fuiſſe credat?

933. טרפש

Job. XXXIII, 25. legimus, et vero ſine ulla varietate רטפש, verbum linguis Orientalibus ignotum. Scriptumne fuerit alia literarum ſerie, טרפש, quod, ut ad hunc locum ex Camuſo docuit Schultenſius, Arabibus (طرفش) eſt, *convaluit a morbo.* In rei ſumma concinunt veterum plerique, aliis tamen verbis uſi. Syrus, ܢܬܚܕܬ *renovabitur, revireſcet corpus ejus,* LXX ἁπαλυνεῖ αὐτοῦ τὰς σάρκας ὥσπερ νηπίου, *mollem faciet carnem ejus ut infantis,* Chaldaeusque, ex bibliorum, ut monuit Schultenſius, regiorum lectione, אתקליש *mollis* ſeu *tenera ſit caro ejus,* hi quidem, niſi fallor, de ſanatione a lepra cogitantes, in qua delicatior et mollior cutis, qualis infantum eſt, renaſcitur. Vide ex Schillingio excerpta T. XVII. bibliothecae Orientalis p. 36. et 2 Reg. V, 14. Schultenſio multum debens; derivationem quadriliteri, ex طري *recens fuit,* et فاش *turſit ſucco,* ut ſuam relinquo, meam non faciens.

934. יאב Pſ. CXIX, 131. *cupidus fuit, deſideravit.*

Sic ſatis unanimiter ab antiquis interpretibus et lexicographis verbum ἅπαξ λεγόμενον vertitur, Syriacae enim verſionis, ܣܟܝܬ ܠܦܘܪܩܢܟ *ſpero in ſalutem tuam,* manifeſtum mendum, pro ܠܦܘܩܕܢܝܟ . . . . ut non ſolum textu Hebraico inſpecto quis non viderit? ſed et Arabs Antiochenus prodit, Syriaca vertens, أَحْبَبْتُ وَصَايَاكَ *amo praecepta tua.*) Sola habet verbum, ſeu potius quadriliterum ejus, ſignificationemque firmat, Syria, ܬܐܒ Luc. XVI, 21. ܘܡܬܐܒ ܗܘܐ ܕܢܡܠܐ ܟܪܣܗ *et cupiebat ventrem ſuum implere,* (ipſum adeo triliterum habente Philoxeniana, ܘܡܬܐܒ ܗܘܐ ܠܡܣܒܥ *cupiebat ſatiari*) Acta Ephraemi Syri in Aſſem. bibl. Or. T. I. p. 28. ܬܐܒ ܗܘܐ ܠܗܕܐ *cupidus rei erat* p. 39. ܘܡܬܐܒ

ܘܡܬܐܒ ܗܘܐ ܘܡܬܪܓܪܓ *et valde cupiebat* videre Basilium. Nomina Syriaca inde derivata vide in Castelli lexico.

Non habent hac ipsa notione Arabes, sed de aliis adfectibus, *pudore*, et *ira*, وأب ponunt, cujus quidem in lexicis primum locum occupat notio, *in se contractus fuit.* Ab eademne contrahendi notione et haec desiderii fluxit, q. d. *angustari*, *angi cupiditate?* Nihil in tam incerta luce etymologica adfirmo, sed quaero?

935. מואב Jes. XXV, 10. scrobs?

Difficillimus Jesaiae locus, c. XXV, 10. si מואב ut nomen proprium de populo Moabitico intelligas. Post resne tantas, regnorumque Asiae interneciones, capite XXIV, 21 – XXV, 9. praedictas, in mediocri regno Moabitico propheta desinat? quod si facit, magnifica etiam quae sequuntur c. XXVI. XXVII. vaticinia, veridissimillime ad Moabitarum res, seu potius eversiones, referenda erunt. Urbsne magna, cujus canitur interitus, regia sit Moabitarum, Areopolis? Consulturi difficultati interpretes, jam mysticum aliquem intellexerunt Moabum, jam Moabum ut exemplum hostium poni omnium statuerunt: sic Hieronymus, et Kimchius. Utrumque displicet: minutum hostium aut exemplum, aut nomen mysticum, Moabus; Assyrium potius exspectasses.

Haec mihi animo volventi et revolventi subnata sententia, adpellative מואב hic accipiendum, atque ex Arabico وَأيب *profundum*, وَأْبَة *scrobs in saxo aquam continens*, *amplus profundusque puteus*, explicandum: *requiescet Jehovae manus in hoc monte, et sub eo calcabitur scrobs, ut stramen calcatur in aqua scrobis.* Vide pag. 452. notamque versioni germanicae adjectam.

Forte ad hanc ipſam nominis ambiguitatem adluditur Pſ. LX, 10. מואב סיר רחצי *Moabitis eſt olla lotionis meae*, in qua pedes abluo.

936. יאל.

Receptam in lexica ſignificationem, *voluit*, neutiquam nego, licet nulla eam habeat, praeter Hebraicam, lingua Orientalis: non tamen unicam puto, nec omnibus locis aptam.

1) وَأَلَ Arabibus ſine dubio eſt, *effugit*, *confugit*, indeque مَوْئِل et مَوْأَلَة *refugium*, *aſylum*. Sic omnino et Hebraicum ויואל Joſ. XVII, 12. Jud. I, 27. accipiendum puto: *et confugerunt* (reliqua pulſi Palaeſtina) *Cananitae, ad habitandum in terra hac. Voluerunt*, plane illi loco ineptum, ex voluntate Cananitarum ſi res pependiſſet, totam habitaturi Palaeſtinam, non hanc extremam oram, erant. Forte et pluribus locis non inepta haec notio, ſed illis et aliae ſuppetunt.

2) Veteres ſaepe vertunt, *coepit*, illis etiam locis, quibus haec ſignificatio parum apta. De LXX cape exempla ex Trommii Concordantiis, ſub ἄρχομαι. Haec et ſignificatio, credo ex Vulgata, in lexica non pauca recepta, praeeunte Reuchliniano. Nec eam verbo abjudicaverim, ſed retulerim ad Arabicum أَوَّل *primus*, transpoſitis literis, et أَوَّلَ *praeceſſit*. Sic quidem putem accipiendum Deut. I, 5. הואיל משה באר את התורה הזאת *coepit Moſes explicare hanc legem*: forte et Job. VI, 9. *incipiat Deus, conterere me.*

3) Ex transpoſitione literarum *ſtulte agere*, ab אויל, interpretantur, non recentiores modo, ſed et veterum plerique, Num. XII, 11. omnes, Jeſ. XIX, 13. Chald. Syrus, Vulgata, forte et LXX. ſi ἐξέλιπον de mentis defectu accipias.

4) Vo-

4) Volendi notionem cum in alia nulla habeat lingua orientali, hanc ortam putem, a, *coepit.* Mere etymologicas quaeſtiones, curioſas quidem, praetermitto, nihil certi habens.

937. יָאַר *terruit, Niphal, refugit.*

נֵאַרְתָּה Pſ. LXXXIX, 40. et נֵאַר Thren. II, 7. cum ſecundum puncta ad יאר referenda ſint, atque etiam ſecundum literas ex varia lectione ſeptem codicum in Pſalmo ניארת, uniusque in Threnis, ניאר: non bene haec in lexicis radix omittitur, ſi vel ad aliam, mutatis punctis, derivare verbum obſcuriusculum placeat. Eſt quidem Arabibus وأر, *terruit, pavore adfecit*, qua ex notione poſſis filo orationis non inepte, paſſivum ניאר exponere, *refugit, abhorruit ab aliqua re.* Nolim equidem diſſimulare, hanc ne mihi quidem verbi explicationem ſatis probari: praetulerim tamen conſvetae, pro Niphal ab ארר *maledixit, exſecratus eſt*, habenti, ut enim punctorum maſorethicorum diſſenſum taceam, qui mihi quidem in minutiſſimis eſt, in Kal potius אָרַרְתָּה, quam in Niphal נארת dicendum fuiſſe arbitror. Neutrum ſatis veriſimile, ſed illorum mihi partes meliores, qui ad radicem נאר referunt.

938. יְאֹר *fluvius*, peculialiter, *Nilus.*

Manifeſte et exoticum nomen, et vero Aegyptium, tempore habitationis in Aegypto in linguam Israelitarum receptum. Nulla certe lingua alia Orientalis habet, praeter ſolam Hebraicam, ac ne etymon quidem, quod alias in linguis Orientalibus plerumque obvium, offerunt: quod enim Simonis in lexico conjecit, ne relatu quidem aut examine dignum. Legant tamen et expendant, ſi qui volunt. At lingua Aegyptia, ut primus adnotavit Jablonskius, hoc ipſiſſimum vocabulum habet, exigua varietate his ſcriptum literis, ΙΑΡΟ (*), atque adeo

(*) La Crozii lexicon Aegyptium p. 27.

adeo in Coptica versione Pentateuchi, nec ex Hebraicis, quae nunquam inspexit interpres nec legere potuit, sed ex LXX facta, pro Hebraico יְאֹר ponitur. Ergo radix Orientalis vocabulo non quaerenda.

Hinc et fit, ut ex regula non nisi Nilus יְאֹר sit, alii fluvii sive נהר, sive, si minores, נחל, possitque et pluraliter יארים poni, sed de brachiis Nili, indeque derivatis arte canalibus in Delta. Hoc quidem eo usque valet, ut Nilus vix uspiam נהר dicatur, quod nomen Euphrati quodammodo proprium haesit: excipio tamen duo loca Genes. XV, 18. ubi ex antiquiore traditione aut libro verba Dei ad Abrahamum referuntur, prolata antequam lingua Hebraica nomen adsciscere Aegyptium potuisset, et Jes. XIX, 5.

939. יבא annuit.

Arab. وبأ *digitum protendere, nuere.* Ex punctis masorethicis occurrit Prov. I, 10. אַל תֹּבֵא, *ne annue.* Sed vide pag. 4. scripta.

940. יִבֵּב *clamavit*, Jud. V, 28.

Ἅπαξ λεγόμενον, sed certae significationis, notaeque ex Aramaeorum dialectis: Chaldaeis *clamavit*, *clanxit*, *tubis cecinit*, Syris ܝܒܒ idem, de *clamore bellico* etiam positum 1 Sam. XVII, 22. ܝܒܒܐ *clangor tubae*, quin et habent *clamandi* et *jubilandi* notione Aethiopes. Sola nos hic destituere videri possit lingua Arabica, cujus lexica وبّ explicant, *paravit*, *expedivit se ad faciendum in praelio impetum*: sed hoc ipsum dictum a clamore bellico et celeusmate, ut liquet ex verbo cognato ejusdem significationis, أبّ, quod in secunda أَبَّبَ interpretantur, *clamavit*, *vociferatus fuit*, *ut*, *qui adoritur hostem.* Recte ergo, sed ex unius linguae Chaldaicae auctoritate, (reliquarum enim imperitus erat) clamandi significatio a Kimchio in lexicon recepta, ex quo in alia fluxit: praeiveruntque ex veteribus, Syrus,

Syrus, eodem verbo usus, ܝܒܒܠ, Vulg. *ululavit*, Ar. جلبت Thalmudicis dubium verbum fuisse memorat idem, quem dixi, Kimchius, ejulatumne, an laetum clamorem significet, an utrumque? Hoc quidem consensu linguarum cognatarum verum, quibus omnem clamorem fortiorem, laetum, tristem, iratum, terribilem denotat.

Mirum, in verbo vel ex Chaldaica lingua noto, aberrare cum LXX tum Chaldaeum potuisse, et vero in ipso errore concinere: illi enim κατεμάνθανεν habent, hic מְדִיקָא *speculabatur?* Estne conjectura, ex ignorantia verbi rarioris? an alia ejus significatio, aliunde nota? Posterius suspicor, vix enim in conjectura disjunctissimorum interpretum tantus consensus, nec potuit verbum omnino ignotum fuisse in Chaldaica lingua superstes. Ergo sic mihi videtur: وَبْ Arabibus idem quod أَبَّ inter cujus significationes et haec enarratur, *adplicuit se ad rem, corpore, vel animo* et تَأَبَّب in quinta, maxime cum ب constructum, idem quod تَعَجَّب *admiratus est;* interpretati ergo de attentione et prospectatione admirabunda sunt. Forte aliquid ejusmodi et lingua Chaldaica habuit, licet nos exemplis careamus: nec negandum, *prospectationem ex fenestra cum admiratione*, locum tueri in Cantico Deborae bene posse.

941. יוֹבָב Genes. X, 29. *Jobabitae* item Genes. XXXVI, 33.

Nomen proprium populi Felicis Arabiae, quod recte de *Jobabitis* (Jobaritis, ex errore librariorum) Ptolemaei interpretatus est Bochartus, T. I. geogr. p. 190. 191. Vide plura in nostro *spicilegio geograph. Hebr. exterae* T. II. p. 203. 204. ubi et Bocharti sententiam confirmo, et ex Ptolemaeo enoto, Jobabitas ab illo poni sub grad. long. 84 et 85. latitudinis 18, ac metropolin illis dari videri *Nagran*,

urbem celeberrimam, quam in d'Anvillianis tabulis ſub long. 62. latit. 19. reperies.

De Jobabo rege Idumaeorum, Geneſ. XXXVI, 33. male pro Jobo habito, vide pag. 40. et quae copioſius de hoc argumento in introductione in Vet. Teſt. (libr. Jobi, §. 3.) diſputabuntur.

942. יבל *duxit, deduxit ad ſepulcrum.*

Recte verbo יבל in lexicis *ducendi, deferendi* tribuitur ſignificatio, apud Syros notiſſima: Arabia lucem non quidem praefert, ſed nec ita, ut prima fronte videri poſſit diſſidet وَبَلَ *acriter perſecutus eſt, vehementer propulit praedam, percuſſit fuſte:* notione verbi prima forte in *comitando* et *inſequendo*, quam mollius et honorifice reliqui Orientales, hoſtiliter Arabes poſuerunt.

De deductione ad ſepulcrum Job. X, 19. et vero faſtuoſa atque honorifica c. XXI, 32. ponitur, praecedente ibi verſu 30 יבל de honorifico in urbem ingreſſu, magno comitatu. Vide et Schultenſium, et notas noſtras germanicas. Sic quidem et Syris uſitatum, ut p. 92. chreſtom. ܘܐܬܝܒܠ ܠܥܘܡܪܐ ܕܡܪܝ ܡܬܝ *deductus eſt* (mortuus, ad ſepulturam) *in coenobium S. Matthaei.*

In loco prope deſperato, Hoſ. XI, 4. ex varia lectione duorum codicum Erfurtenſium et Kennicottiani 112, (inſignioris) occurrit, nebulasque dispellit. Deus de Israele, quem ut puerum duxerat, ac retinaculo tenens ire docuerat, ואט אליו אוביל *inclino me ad illum eumque duco.*

Huc etiam יְבָלוּ Job. XXI, 13. ſed aliis vocalibus יְבַלּוּ adpellatum, retulit Vulgata, *ducunt in bonis dies ſuos.* Non ſane inepta verſio, licet conſveta, punctis conſentiens, melior videatur.

943.

943. יְבוּל *comportatum, fruges.*

Notiſſima nominis ſignificatio, *fruges*, ſive arborum, ſive agri: cui ſolum addo etymon, a *portando*, *comportando*. Proprie ex hoc etymo accipi Job. XX, 28. in יבול ביתו videtur, ubi conſvetae ſignificationi ne locus quidem eſt, *fruges* enim vel *germina domus* incondita phraſis. Verto: *revelabuntur* (יִגַּל mutatis punctis) *comportata domum ejus*, furta, et injuſte parta, domum ejus comportata, concinente etiam ſequente membro, ubi נִגָּרוֹת dicuntur, *quae per vim abſtraxerat.*

944. יָבַל *uvidus, humidus fuit.*

Idem verbum יבל, Arabice وبل, cum ipſum apud Arabes, tum apud Hebraeos Arabesque in nominibus inde derivatis, tam diverſam a priore notionem habet, quam vix poſſum una voce quam *uvidi* aut *humidi* melius complecti, ut utrumque diſtinguendum videatur. Fierine poſſit, ut felici etymologia ad unum fontem deriventur, alii tenent, ego quidem, niſi etymologia ſatis probabilis ſponte ſe offerat, artificiis et conjecturis uti nolim. Forte utrumque verbum, origine etiam diverſum, ſub easdem literas coiit. Ergo Arabibus وَبَلَ inter alia eſt, *copioſe pluit*, وَبُلَ *gravis et inſalubris fuit aër*, (niſi fallor, ab humiditate, nullus enim peſtilentior aër humido) وَبْلٌ, et وَابِلٌ *imber*, poſterius etiam, *noxa*, *gravitas aëris*, وَبِيلٌ *inſalubris*, ejusque pluralis, وُبُلٌ *inſalubria prata*, وَبَلَةٌ *gravitas aëris*, مَوْبُولَةٌ *imbre perfuſa terra*. Ad hoc ergo verbum, in bibliis Hebraicis non lectum, duo aut tria referes, quae ſequuntur, nomina.

945. יָבָל Jeſ. XXX, 25.

Ἅπαξ λεγόμενον. In omni monte alto futuri dicuntur canales, et, יבלי מים. *Rivos* plerique intelligunt, nec repudio: malim tamen

 loca

loca uvida, et humore abundantia, qualia in summis montibus esse solent, atque ex quibus subjecta prata arentia canalium artificio rigantur. Habes egregiam imaginem artificiosae rigationis, in Germania, ut queri memini Hallerum, ignotae, apud Virgilium, Georg. I, 108-111.

Et cum exustus ager morientibus aestuat herbis
Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per laevia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.

946. יוּבַל *humor* Jerem. XVII, 8.

Et hoc ἅπαξ λεγόμενον. Rivum fere intelligunt, nec refragor, possis tamen et generatim, *humorem, uvidum locum.* Sic certe praeiverunt LXX ἐπὶ ἰκμάδα βαλεῖ τὴν ῥίζαν, Vulg. *ad humorem mittit radices suas.* Radici quidem arboris humor, quam rivus, salubrior. Syrus ipsum hic nomen ܝܘܒܠ retinuit, sed de cujus significatu non constat, *algam* esse dicit Castellus, nec nego, posset enim ea a paludibus in quibus nasciter ita dicta fuisse, sed et aliam habuisse significationem necesse est, alga enim loco Jesaiae non apta. Infelix situs arboris, si ad algam extendat radices, brevi moritura, perpaucis exceptis arboribus palustribus.

947. אוּבָל Dan. VIII, 2. 3. 6.

Vocabulum incertissimae significationis, de quo, donec ex geographia aut aliunde novae quid lucis adfulgeat, dubitare quam sententiam dicere malim. Partiri interpretationes, et ordine digerere liceat.

I) Ad יבל, وبل quatenus uviditatis et humoris notionem habet, retulerunt plerique, nec tamen sic certa sententia, possit enim esse, sive, *fluvius* Eulaeus, sive etiam, si stagnum per quod fluvius labitur eodem nomine probari possit, *stagnum* seu *lacus* Eulaei. Vide pag. 41. 42.

II)

II) *Portam* alii interpretantur, LXX ἐπὶ τῇ πύλῃ Αἰλάμ, Hieronymus, quin et Ephraemus in Syriaca verſione easdem literas ܐܘܒܠ inveniens, *portam, aut columnam* interpretatur. Verba ipſa adſcribo: ܗܘ ܟܠ ܬܪܥܐ ܕܡܕܝܢܬܐ ܐܘ ܐܣܛܘܢܐ ܐܡܪ ܐܘܒܠܐ Nempe Syris ܐܘܒܠ *porta* eſt, ut habet in ſuo lexico, ſed nullo addito exemplo, Caſtellus. Derivationem nominis, atque unde porta dicta ſit, ignoro: conjicere poſſis, ab *importando*. Prius praeferendum videtur.

948. יַבֶּלֶת Levit. XXII, 22.

Obſcurum vocabulum, de quo dicturo aliqua repetere neceſſe eſt, ab aliis, ut Coccejo, jam occupata. Veteres perquam diverſi, ut partim non niſi conjeciſſe videantur. LXX μυρμηκιῶν, quo de verbo vide Heſychium, aut Bielii lexicon. Arabs Pol. ذات ثُؤْلُول (*) *verrucis laborans*, quamquam et poſſis ſuſpicari, nomen تؤلول ſcribendum, ab ألّ *corruptus fuit, praeditus foeditate, ſeu corruptione.* Vulg. *papulas habens.* Nihil quod hanc firmare aut explicationem poſſit, aut conjecturam, linguae dant Orientales: nec veriſimile eſt, verrucam, perquam mediocre corporis vitium, atque in animalibus vix in oculos incurrens, victimam altari ineptam feciſſe.

Syrus ܢܦܝܠ vertit, i. e. *debile, morboſum*, cujus vocabuli prima vis in *flaccido* eſſe videtur; Maurusque مَذْبُول a ذبل *flaccuit, languit, debilitatus fuit.* Forte et huc referas Samaritani, חבלי, *corruptum, morboſum.* Eſt id quidem ad ſeriem orationis ita aptum, ut adſenſum paene extorqueat vel nolenti: veri enim diſſimillimum in vitiis, quae altari prohibent, morbidam omitti victimam. Sic erit nomen generalius, omnes morbos armentorum complectens, proprie dictis corporis vitiis oppoſitos. Verum unde *morboſum* dictum? Utrum

(*) Quaere in Golii lex. p. 410.

a יבל n. 944. *inſalubris?* an a contagio et propalatione morbi, ex Syriaco ܝܒܠ et ܐܘܒܠ quod de traditione per ſucceſſionem poni ſolet?

949. יוֹבֵל *tuba, cornu.*

Notiſſimum eſt, tria cum ſint tubarum nomina, יוֹבֵל, חצוצרה, שופר, Judaeos ita diſtinguere, ut יובל proprio ſenſu ſit, *cornu*, eosque tradere, ex prima vi vocis יובל *arietem* ſignificare, unde קרן יובל plena conſtructione ſit, *cornu arietis.* In lexica hoc receptum, ſed reliquis linguis Orientalibus plane ignotum, quarum nulla arietem ita vocat; commentum, Rabbinorum, quod repeti aut credi non decet, donec commenti ſuſpicione liberetur, ejusque certa exempla ex linguis Orientalibus adferantur. Eſt tamen perantiquum: non Chaldaeus ſolum habet, ſed et Symmachus Joſ. VI, 4. שופרות היובלים σάλπιγγας κερατίνας vertens. Nec quidem negaverim, diſcrimen aliquod inter חצוצרה, יובל et שופר eſſe, ubi ſtrictiore ſenſu vocabula ponuntur, (quamquam id certum, latius etiam poni, ut Joſ. VI, 4. 5. ubi eadem ſunt, שופרות היובלים, — קרן היובל, — — et שופר, itemque Exod. XIX, 13. coll. v. 16.) nec negaverim, potuiſſe ſpecialiter de cornu poni, haud quidem ex etymo, ſed ex uſus arbitrio, quamvis argumento adhuc deſtitui ſententiam videam. Unum etymon, apertum Rabbinorum figmentum non admitto: nec quidem de etymo certi quid habeo, ſuſpicor tamen, a *Jubale* Geneſ. IV, 21. inventore inſtrumentorum muſicorum, dictum eſſe, aliis quidem vocalibus ſcribendum, plene Joſ. VI, 5. קֶרֶן הַיּוֹבֵל *cornu muſicum*, ſed plerumque elliptice, יובל.

Exod. XIX, 13. cum משך conſtruitur, quod ſi eſt, ut fere ſumunt, *trahere*, non poteſt ibi cornu eſſe arietinum, ſed tuba ex metallo, quae trahendo produci poteſt. Sed vide infra ſub משך notanda.

950.

950. יִבְלְעָם *nomen proprium urbis.* 1 Par. VI, 55.

Omiſſum nomen, vel a Relando, quem vide ſub *Bileam*, pag. 663. בלעם urbs eſt Levitica cisjordanenſis, ex portione Manaſſitarum, ſed forte per errorem librariorum, notius ſibi nomen ſubſtituentium, pro יִבְלְעָם, quod exprimunt omnes fere veteres, LXX. Syr. Chaldaeus, Kennicotti codex 89, atque a correctoris manu Caſſellanus.

951. יַבֹּק Gen. XXXII, 23. Deut. II, 37. Joſ. XII, 2. Judic. XI, 13.

Nomen proprium fluvii, Jordane vix minoris, qui in Baſanitidis montibus ortus, triduique iter (i. e. circiter XII milliarium germanicorum) emenſus, in Jordanem paulo infra lacum Tiberiae influens, Arabibus يَرْمُوك, indeque graecis latinisque *Hieromiax* vel *Hieromiaces* dicitur. Philadelphiam (Rabbam Ammonitarum,) Geraſam et Gadara praeterfluit. Male ex Jabboco et Jarmucho duos fluvios fecit Relandus, Palaeſtinae pag. 282. 283. eumque ſequutus, ſed additis neſcio unde arreptis figmentis, Bachiene (*): ſed unum eundemque eſſe ipſe ſitus clamat. Moſe teſte terminus ſeptentrionalis erat regni Sichonis, quod Israelitae occuparunt, unde neceſſe eſt, eum paulo infra lacum Tiberiae Jordani miſceri, eodem loco, ubi Jarmucum Arabes habent; nec duo ibi aut rivi aut fluvii, ab Oriente in Jordanem influentes, ab itineratoribus aut geographis obſervati, ſed unus modo. Haec, et reliqua quae de Jabboco dixi, melius dijudicabunt lectores, teſtibus auditis. En eorum verba: Joſephus, de regno Sichonis et Amoraeorum Ant. IV, 5, 2. *eſt autem regio, tres inter fluvios ſita, natura inſulae ſimilis*, τοῦ μεν Ἀρνῶνος ἀπὸ μεσημβρίας ὁρίζοντος αὐτὸ,

(*) *Oritur*, inquit, *non procul ab Arnone, indeque verſus ſeptentrionem, poſtea ad occidentem fluit.* (§. 84. deſcriptionis Palaeſtinae) Haec unde? In tabula etiam Palaeſtinae hunc fluvium fingere auſus eſt, a Jabboco diverſum, ſed a nemine, quantum ſcio, viſum.

αὐτὸ, Ἰαβόκχου δὲ τὴν ἀρκτῶαν αὐτοῦ πλευρὰν περιγράφοντος, ὃς εἰς τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν ἐκβάλλων ἐκείνῳ καὶ τοῦ ὀνόματος μεταδίδωσι: *Arnone a meridie eam definiente, Jaboccho autem a septentrione, qui deinde Jordani mixtus nomen suum admittit.* — Eusebius et Hieronymus de locorum situ (T. II. operum Hieronymi p. 454. ex editione Benedictinorum) *fluit inter Amman, id est Philadelphiam* (*), *et Gerasam, et ultra procedens Jordani miscetur.* Jam ibidem Arabes suum *Jarmucum*, seu, ut adcuratius sonum exprimam, *Jermucum* habent, ex quo *Hieromacen* Graeci fecerunt. Abulfeda in descriptione fluviorum, pag. 148. Syriae a Clarissimo Köhlero editae: *postquam ex lacu Tiberiae effluxit* (Jordanes) *inter Kosair et lacum Tiberiae in eum illabitur fluvius Jarmuk,* نهر اليرموك. Plinius libr. V. hist. nat. §. 16. *Gadara, Hieromiace praefluente.* Pocokius T. II. itinerarii, p. 70. (104 versionis germanicae) sed forte aliquid in nominibus memoriae lapsu errans: *narrabant mihi, per hanc planitiem* (ab Oriente Jordanis exporrectam) *fluvium labi, ex angusta valle venientem, eumque Jordani decimo infra lacum Tiberiae milliari* (Arabico) *i. e. quatuor horarum intervallo, misceri; ibi et pontem Jordanis esse, eo forte, ubi Scythopolis fuit, loco. Hunc fluvium Scherjet Musa vocant, id est fluvium Mosis* (**), *dicebantque, quo tempore plus aquarum*

(*) Ergo esse videtur ille fluvius, ad quem, teste Polybio libr. V. c. 71. obsessi Philadelphenses per meatum subterraneum aquatum descendebant: ad eumque olim suburbium Rabbae Ammonitarum, *urbs aquae* (עיר המים) dictum fuisse videtur, quod cum Joabus cepisset, non potuit diu Rabba ob aquae penuriam armis Davidis resistere. 2 Sam. XII, 27. Dignissimus ergo notatu fluvius.

(**) Arabice scribendum جَرِيَة مُوسَى quod moneo, ne confundatur cum Jordanis nomine *Schariat*, Arabice شَرِيعَة. Vide Abul-

rum devehit, latitudine parum cedere Jordani, inque regione Tauran (*) *oriri, a qua tridui iter* (XII vel XV circiter milliaria Germanica) *emensus in Jordanem influat. Hieromaces esse videtur, Gadara praeterfluens, urbem septem milliaribus et dimidio a lacu Tiberiae sitam. Creditur esse Jarmucus Thalmudicorum, ipseque adeo forte Jabbocus fuerit.* Jarmucum fluvium Thalmudici habent in tractatu Para c. VIII, §. 10. iisdem quibus Arabes literis ירמוך scribentes.

Caeterum suspicor, *Jabbok* et *Jarmuk*, non solum ejusdem fluvii, sed et plane idem nomen esse, dialecto modo et adpellatione diversum. Pro Dagesch forti Hebraeorum Aramaei non raro R habent, ut כַּסֵּא, כֻּרְסֵא, sic pro *Jabbok* foret *Jarbok*, hoc autem Arabs, plane ut Beccam Meccam nominat, (vide gramm. Arab. §. 19. p. 90.) *Jarmuk* adpellaverit. Certe donec de hoc constet, nolim alias nominis Jabbok etymologias tentare, non illam, quam conjecit Simonis, a بقبق *bombum edidit*, nec aliam quam mihi aliquando notaveram, nuncque repudio, a وبق unde مَوْبِق *interstitium*, quod finis fuerit regni Amoraeorum, fluvii enim nomen habent diu antea, quam casu et sorte belli fines fiant regnorum.

952. יָבֵשׁ *arescere*, de manu, vel brachio, positum.

יבש *arescere*; de manu occurrit, (graecam etiam versionem adscribo) 1 Reg. XIII, 4. ἐξηράνθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, et Zach. XI, 17. βραχίων αὐτοῦ ξηραινόμενος ξηρανθήσεται: translata et in N. T. phrasis,

Abulfedae Syriam p. 147. Fluvium Mosis forte ideo dicunt adcolae Arabes, quod Moses, cui transire Jordanem non datum, Jabbocum non transiit modo sed et totum in ditionem Israelitarum redegit.

(*) Vitiose scriptum nomen videtur, pro Hauran, qua de regione vide p. 693-695.

ſis, quam ex Graecorum medicis uſuque linguae illuſtrari non memini; Matth. XII, 10. Marc. III, 1. Luc. VI, 6. Joh. V, 3. Ex primo quidem loco 1 Reg. XIII, 4. 6. manifeſtum, *areſcere* dici manum quae immobilis fit, ut retrahere illam nequeas, unde et Matth. XII is qui aridam habebat manum, eam, antequam ſanatus eſſet, extendere non poterat. Tres notare ſolent medici cauſſas ex quibus manus fit immobilis: 1) *ſpaſmum (Krampf)* 2) *catalepſin*, quae brevis ſit, aliquando vix quartam horae partem durans, ſed totum corpus adficiens 3) *paralyſin*, ex qua mihi narrant manum ſaepe proprio ſenſu areſcere, adfectamque vel oculis judicibus altera ſana minorem eſſe. In Joannis loco nota, *ξηροὺς* cum *claudis componi*, ut illi intelligendi videantur, quorum manus rigidae ſunt.

953. יְגֵבִים et יוֹגְבִים *neceſſaria* &c.

יְגֵבִים his punctis animatum, ſemel occurrit Jerem. XXXIX, 10. uno tamen codice (153) יוגבים habente, ut legitur in Keri 2 Reg. XXV, 12, ac ſine Vau ſed tamen cum Cholem, יֹגְבִים Jerem. LII, 16. Forte ubique iisdem vocalibus יֹגְבִים ſcribendum nomen. Lexicographi יְגֵבִים plerumque *agros* vertunt, יוֹגְבִים *agricolas*, ac ſi unum idemque eſſet cum Cthib 2 Reg. 25. גבים, quod *agrum* ſignificare p. 246. diximus, nec ſolum גֵּבִים ſed et גְּבִים agri eſſe poſſint, a جاب pro جوب et جيب ſecuit: ipſum tamen יגבים aliter explicandum exiſtimem. Arabibus quidem وَجَبَ, *neceſſaria fuit res*, وَاجِبٌ *neceſſarium*, ſic Jerem. XXXIX, 10. Nebuzaradan paupérculae turbae in Palaeſtina relictae dederit, *vineas et neceſſaria*, i. e. ſive agros ad neceſſarium victum, ſive etiam et neceſſarium illis colendis inſtrumentum, aut neceſſaria primi anni alimenta. 2 Reg. XXV, 12. Jerem. LII, 16. יוגבים, cum vinitoribus conjuncti, poſſint eſſe, *neceſſa-*

cessaria parantes, sicque alia tanquam via ad *agricolas* redierimus. Fateor, nullum ex veteribus mihi praeivisse, sed videntur illi, licet in interpretando discordes, lectionem גבים sequuti, idque adeo illo ipso in loco, in quo nullus codicum Kennicottianorum ita habet, Jerem. XXXIX, 10. hic enim vertunt,

1) LXX ἀγρούς, Syrus ܦܠܚܘܬܐ *agriculturam*, Chaldaeus מפלחין בחלקין *ut colerent agros*.

2) Theodotion, ὑδρεύματα, *aquationes*, nimis lato vocabulo usus, indeque obscurior factus, ac distinctius Vulgata, *cisternas*: quod quidem Hebraice foret, גֵּבִים.

Haec quidem de יגבים disputanda erant: caeterum mihi lectio גבים, agri, quam 2 Reg. 25. habet textus, Jerem. 39. ex veteribus vixdum excitati, et Jerem. 52 praeter hos codex etiam Kennicotti 96 praeplacet.

954. יָגָה *secuit*, *resecuit*, *doluit*, *amovit*.

Notissima verbi significatio, inque lexica recepta, *doluit*, transitivique הוגה, *dolore*, *moerore adfecit*: nec de ea dubito, licet et alias putem addendas, Arabibus enim وجى *male habuit*, *doluitque* ungula, eundo attrita, unde et وجٍ *ungulis laborans equus*.

Verum idem verbum et Arabibus in quarta est, *procul amovit*, unde explicanda esse reor, male, ut jam p. 593. dictum, ad commentitium הגה *removere* relatum, 2 Sam. XX, 13. הֹגָה, seu, ut in codicibus decem Kennicottianis plene scribitur, הוֹגָה, *cum removisset* eum a via, aut, si plane obstinatum sit cum recentiorum plerisque passive accipere, *cum* הוּגָה *remotus esset*. Itemque, sed mutatis punctis vocalibus, Proverb. XXV, 4. 5. (הֹגוֹ) *removete scorias ab argento, et prodibit vas aurifabro dignum*: (הֹגוֹ) *removete injustum a rege, et stabilietur justitia solium ejus*.

Ad eandem significationem et נוּגֵי מִמּוֹעֵד, Sophon. III, 18. vexatissimum illud, crucemque interpretum, retulerim, interpretatus, ut jam in versione germanica feci sed liberiore stilo; *semotos* i. e. *rejectos a me* (נוּגֵי mutatis punctis) *e loco sacrorum abstuli:* videoque hic in significatione semovendi Raschium mecum consentire, licet et in explicationis summa dissentiat, *festa relinquentes* intelligens, et male ad הגה referat, cujus in hoc נוּגֵי non nisi unica radicalis, ג, supersit.

Unum quaerere possis, quomodo duae tam diversae, *dolendi* et *amovendi* notiones in uno verbo concurrant? Hic quidem, parcus etymologiarum sectator et timidus, assequutus tamen mihi fontem communem videor. Prima vis verbi وجي *secuit*, unde et est, *castravit*, quam notionem primo adeo loco posuit Golius: hinc fluxit apud Arabes

1) *doluit*, maxime *ex attritione ungulae* equus, proprie secta, vulnerata ungula fuit, unde omnis apud Hebraeos dolor, tanquam vulnus.

2) cum عن constructum (أوجي عن) *resecuit a se, vel alio, procul removit*, quin et in prima, *comperit omnis boni inanem et expertem*, q. d. resecuit, removit a se, ita vilem existimavit, ut nihil cum eo commune habere vellet, unde vitiis coopertum, maxime avarum, qui fordidissimus illis et turpissimus morbus animi putatur, وجي Arabes adpellant, quasi, *resectum*, *rejectum*, *vilissimum.*

955. יגע

Quod editiones nonnullae habent Jes. XL, 30. יִגְּעוּ, male ad radicem יגע refertur, solae enim, quae mediam radicalem sibilantem habent, certis exemplis comperiuntur Jod abjectum per Dages compensare, quaere potius hujus lectionis explicationem infra sub נגע.

956. יָד *manus.*

Primitivum esse videtur, ut et alia membrorum corporis humani vocabula. Notandae aliquae phrases.

1) בְּיַד simpliciter aliquoties esse, PER, ut Hos. I, 1. *verbum* Jehovae ביד הושע *per Hoseam*, XII, 10. &c. ut notum sumo, id unum adnotans, Syris hunc loquendi modum esse usitatissimum. Huc et retulerim 1 Paral. XXIV, 19. ביד אהרן *per Aharonem*, i. e. quos mores et statuta ab Aharone acceperant. Job. XV, 23. idem esse quod Arabicum بين يدي *ante*, (proprie, *inter manus*) ex Schultensio jam in lexicon recepit Simonis.

2) Latius et aliis in constructionibus ponitur, ubi nullus manui locus, ut Jes. I, 12. *quis quaerit hoc* מידכם *a vobis*, non, *a manu vestra*, de proculcatione enim, quae pedibus non manu fit, sermo.

3) Locis, in quibus monumentum significat, forte adnumerandus Jes. LVI, 5. *dabo illis in aede mea monumentum et nomen*, noli tamen statuas intelligere, quae in templo non erigebantur, sed *dona* templo illata, aliaque quae monumenti loco esse possint conditori, ut, *portas*, *columnas*.

4) תנו יד ליהוה *date manum Jehovae*, 2 Paralip. XXX, 8. esse videtur, *data manu foedus cum Deo facite, pactum inite cum eo.* Sic saepe Coranus de foedere dei et Israelitarum, *manus dei erat super manu illorum.* Mire LXX δότε δόξαν, sed videtur error librariorum, phrasin non intelligentium, esse, pro, δότε δεξιάν.

5) יד ליד Prov. XI, 21. XVI, 5. perquam verisimiliter, locoque primo apte, ex Arabismo interpretatus est Schultensius, *per posteros*, quem vide, et adde phrasin Syriacam ܐܝܕܐ ܒܐܝܕܐ *unus post alterum.* At suspectam facit versionem posterior locus, vix enim suspiceris, superbiam his delictis adnumerari a Salomone, quae et in po-

 steris,

ſteris, filio, nepote, pronepote, puniat Deus. Aliorum explicationes cum epicriſi dedit pater meus in uberioribus ad Proverbia adnotationibus, ſed nec harum ulli, calculum adjicere poſſum. Certi nihil habens, conjicio, יד ליד eſſe, *manu in manum inſerta tibi promitto*, Germanice, *ich gebe dir die Hand darauf er wird nicht ungeſtraft bleiben.*

5) In ſponſionibus *manus infixae ſeu datae* mentio fieri ſolet, ut Levit. V, 21. תשומת יד; et maxime Prov. VI, 1. 2. ex quo tamen loco colligo non illi datam manum, cui, ſed pro quo ſponſor fiebam. יד in hac phraſi omittitur, ut ex jure et conſvetudine notum, inque ſequenti membro poſitum, Job. XVII, 3. שימה נא ערבני: adſcribo verſus, ſed accentibus relictis, verſionem, *pone* (manum tuam) *ſponde pro me; praeter te quis eſt, qui ſuam manum meae infigat?* i. e. qui pro me ſpondeat.

957. ידד *dilexit.*

Arabicum وَدَّ, unde et Syri habent, ܝܕܝܕܐ *amicus*, Arabibus frequens, Hebraeis paulo quam illis rarius. Hoc ſibi verbum in יודוך Geneſ. XLIX, 8. reperiſſe viſus eſt interpres Samaritanus, vertens ירחמונך *diligent te fratres tui.* Nempe יְוַדוּךָ (prima radicali Vau pro Jod more Arabum) extuliſſe videtur. Ad hanc radicem et יִדּוֹדוּן ידודון Pſ. LXVIII, 13. plures ex veteribus, ſed male, retulerunt: ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ, vel ſecundum aliam lectionem, ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων ὁ ἀγαπητὸς, ملك القوّات المحبوب, Symmachusque, ἠγαπήθησαν, ἀγαπητοὶ ἐγένοντο.

958. יָדָה.

Difficilius paulo eſt, de hujus verbi ſignificationibus, primo adſpectu valde diverſis, aliquid certi ſtatuere, deſerentibus nos reliquis lin-

linguis Orientalibus Arabicaque ſub ودي alia omnia offerre viſa. Suſpicor tamen, ita partiendas ſignificationes verbi Hebraici eſſe, ut altera, *jacere*, ſit verbo propria, aliae a יד multo antiquiore vocabulo, denominativae, ut הוֹדָה in Hiphil, *laudavit*, *celebravit*, ab exporrecta manu, qua quem oſtendimus, (*pulcrum eſt monſtrari digitis et dicier*, *hic eſt*) et התודה in Hithpael, *confeſſus eſt*, quaſi diceres, ipſe ſe demonſtravit, et indicavit. Sed haec in incertis relinquo.

De Zachar. II, 4. (I, 21.) liceat, non certam quidem ſententiam, ſed tamen quaeſtionem proponere. ידות קַרְנוֹת vertunt fere, *dejicere cornua gentium*, praeeuntibus Chaldaeo, למתבר, Syr. ܠܡܫܕܐ et Vulgata, *ut dejiciat*: nec obnitor, ſi de חָרָשִׁים fabris ſermo ſit. At vide in bibl. Or. T. VI. p. 60. 61. quae contra fabros diſputavi, חֹרְשִׁים, *aratores*, praeferens: quae ſi probentur, ידות erit potius denominativum, *manu prehendere* cornua, manum illis injicere. Vide et ſcripta in notis ad verſionem germanicam, et expende.

959. ואד Geneſ. II, 6. ſecundum LXX.

Ratio reddenda videtur interpretationis hujus vocabuli, falſae quidem, me arbitro, ſed tamen antiquiſſimae, *fons*. LXX πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς, exque his, cum Vulgata, *fons aſcendebat e terra*, ac Syriaca, ad illos ſeculo VIII correcta, ܘܡܒܘܥܐ ܣܠܩ ܗܘܐ. Arabibus quidem a ودي verbo, *Vad* (وَادٍ) eſt *fluvius*, *rivus*, hoc ergo nomen, auditu acceptum, (eſt enim in propriis geographicis ita frequens, ut vix poſſit illud homo Orientalis, licet Arabicae linguae imperitus, non audiviſſe,) arripuerunt, atque ad Moſen interpretandum, tranſtulerunt, וָאד adpellantes? Male illi quidem, cum grammatice, tum philoſophice: א in وادٍ, participio primae conjugationis, ſoli Arabicae linguae peculiare, nunquam Hebraeis partici-

ticipium ita scribentibus; nec verisimile, antequam omnino pluisset, ex terra arida fontem erupisse, eamque rigasse.

960. יְהוּדָה

De nomine proprio nobilissimo, cujus ipse derivationem ab הוֹדָה, *celebravit*, Moses prodit, Genes. XXIX, 34. in quo tamen varie errari video, aliquid minutiarum grammaticarum monere liceat. Secundum puncta masorethica, (Schurek in ו) non est ex conjugatione Hiphil, nec active, *celebrabit*, vertendum, quod ne Mosis quidem etymologiae concinit, ex qua mater, non filius, laudabit Jehovam, (אורה את יהוה), sed tertia persona futuri Hophal servato He characteristico, *laudabitur* sc. Jehova, ad cujus nomen, si jam tum notum fuit, tres primae literae יהו alludunt.

961. מִדְבַּר יהודה *desertum Judae.*

His, quae geographi de *deserto Judae*, arenoso, a Nomadibus pererrato, a Thecoa incipiente, et cujus paucae urbes Jos. XV, 61. 62. nominantur, habent, est aliquid addendum ab illis praetermissum, quo ignorato aliquot sacri codicis locis tenebrae offunduntur. Hoc ipsum, quod a Thecoa incipiebat lateque versus Austrum procurrebat desertum (*), videtur aliquo flexu arenosi aequoris etiam ab Oriente maris mortui usque ad Jordanem procurrisse, Judaeisque paruisse. Joannes quidem Matth. III, 1. *in deserto Judae* docens, *in Jordane fluvio baptizat*, v. 6. jam vero, cum desertum Judae cis Jordanem Jordanem

(*) Adscribo Hieronymi verba, ex praefatione Amoso praemissa, ut in promtu sint sequentia legentibus et deliberaturis: *oppidum Thekue sex millibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethlehem* (ex quo consequitur, ut sit australius Jordane haud prope Hierichunte in mare mortuum illabente) *et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casae et furnorum similes quas Afri adpellant napalia.*

nem nulla parte attingat (*), ſciamusque aliunde Joannem trans Jordanem baptizaſſe, conſequi videtur, ut deſertum Judae aliqua parte trans Jordanem hunc fluvium attigerit: adde tribum Nafthali Joſ. XIX, 34. *ab oriente ad Jordanem* vicinam habere tribum Juda, cujus certe nullae urbes ibi ſitae fuerunt, at potuerunt deſerta paſcualia eo usque procurrere, ubi Nafthali Jordanem paulo infra lacum Tiberiae attingebat. Jam et intelliges, quomodo pſalmum LXIII. canens David, et vero jam rex, ut ex v. 12. liquet, in deſerto Judae verſari potuerit, v. 1. nempe, Abſalomum fugiens Jordanemque trajiciens. Vide plura in notis ad haec loca, atque ad 1 Maccab. IX, 33.

962. יהודי *Judaeus.*

Nos quidem hoc nomine totam, quae Israelitarum dici debebat, gentem Judaeos vocamus; non ita veteres Hebraei, quibus יהודי non eſt, niſi, *ex tribu Juda oriundus*, et יהודה ſive haec tribus ſola, ſive regnum cujus ea caput erat, Israelitico oppoſitum. In Novo tamen foedere Ἰουδαῖοι promiſcue pro omnibus Israelitis ponitur. Antiquisſima hujus latioris uſus auctoritas, an origo? in foedere Judaeorum cum Romanis, 1 Macc. VIII, 23. *Καλῶς γένοιτο τοῖς Ῥωμαίοις καὶ τῷ ἔθνει τῶν Ἰουδαίων*: cum Romanis qui foedus percuſſerunt, Judaeae erant incolae, totius tum populi caput, ad quos et Gileaditidis ac Galilaeae incolae confugerant, patria pulſi. Jam cum Romanis primum *Judaei* foedere innoteſcerent, factum, ut hoc nomen toti genti fieret commune.

Aliud non aeque quidem lati, ſed tamen latioris uſus exemplum, Eſther. II, 5. ubi Mordochaeus, originis Benjaminiticae, *Judaeus* vocatur,

(*) Relege verba, nota praecedente ex Hieronymo excerpta. Adde et Joſ. XV, 5. 6. fines totius tribus Judae non ad Jordanem ipſum pertinuiſſe, ſed ad mare mortuum, antequam in illud illaberetur Jordanes.

catur, dilui forte possit, quod tribus Benjamin Judae adhaesit, pars regni Judaici: nuspiam tamen alibi memini, Benjaminitam Judaeum in tabulis prisci foederis vocari, suspicor ergo, et hoc sequioris Hebraismi esse, quem et in aliis vocabulis libri Estherae, (post Maccabaica forte tempora scripti, an confícti?) observamus.

963. יהודית *lingua Judaica.*

Sic quidem ea lingua, qua tabulae prisci foederis scriptae, quamque nos contra usum veterum Hebraicam adpellamus, 2 Reg. XVIII, 26. Jes. XXXVI, 11. vocatur. Monuerim tamen, non ejusdem latitudinis nomen esse, ut alterum, לשון כנען, Hebraica enim Ephraimitarum, et Galilaeorum dialectus, ab Hierosolymitana diversa, vereor ut recte potuerit *Judaica* dici.

964. *Posuit*, *novit*, *familiarem habuit*, *collocutus est.*

Secundo quam loco posui significatio, *novit*, *scivit*, vulgatissima et certissima, Syrisque cum Hebraeis communis: at Arabibus ea non solum ignota, aliis sciendi noscendique verbis; ut عرف utentibus, sed et eorum وضع, *posuit*, *deposuit*, prima fronte alia omnia quam Hebraicum notare videtur. Sed hic duo observare atque monere liceat,

1) Ipsa hac Arabica notione, ac prima nisi fallor, bis ידע in codice Hebraico accipiendum videri, Job. XX, 20. לא ידע *non deponit quidquam tranquilli in ventre suo*, (*scire* enim *in ventre suo*, de cibis positum, incondita phrasis) et, si vera lectio, nec וירע per Resch legendum, ut praeivisse videntur LXX. Vulg. Chald. Jud. VIII, 16. *sumsit senatores urbis*, *spinasque deserti*, *ac tribula*, וידע בהם *imposuitque illis* spinis ac supposuit tribulis *viros Succothae*

2) ex hac ponendi notione alteram sciendi, quasi *ponendi*, *reponendi in animo*, fluxisse videri. Expende insignem locum, ubi ipsa

ipſa conſtructio cum ב eo nos deducere videtur, quis enim, *ſcito cum corde tuo*, dixerit? Deut. VIII, 5. וירעת עם לבבך, *depone cum corde tuo*, *in animo tuo depone*.

ירע *noſſe aliquem*, et de familiaritate atque amicitia poni, dudum ante me monitum, maxime ad dictum dei Geneſ. XVIII, 19. *novi*, i. e. *amicum mihi elegi illum*: adſcribo tamen illi explicando inſignem locum Pſ. CII, 4. רע לא ארע *malum non cognoſcam*, i. e. *amicum non habebo*.

Arabibus أوقع in conjug. 4. inter alia eſt, *colloqui*, q. d. *ponere et reponere ſermonem*, ut ſtatim in tertia, quas tirones legere ſolent, fabularum Locmani. Huc mihi referendum videtur, ſed mutatis punctis, יוֹדְעוּן Prov. X, 32. *labia juſti loquuntur quod placet*, *os injuſtorum perverſa*: vix enim, *ſcire*, huic loco labiisve aptum. Viderunt id jam, et de ſermone acceperunt, ſed elegantiore phraſi graeca uſi, χείλη ἀνδρῶν δικαίων ἀποστάζει χάριτας: pro quo ſcholion alicujus emendare ſibi viſi ad Hebraica, ἐπίσταται, in textum recepit Grabius. – – Ad hanc notionem et referenda videretur, ſi ab aliis codicibus confirmaretur, lectio codicis Caſſellani Nehem. VI, 2. ונודעה pro ונועדה, elegans ſane, et perquam loco apta modo כפרים *occulta* interpretemur: *colloquamur*, ſive, *clam*, ſive, *de rebus arcanis*, conferamusque conſilia. Verum cum ſolum incedere hunc codicem videam, in erroribus librarii felicioribus numero. At ex ea,

965. מוֹדַעַת Jeſ. XII, 5.

colloquium, *confabulationem* verterim. Diſplicet, quod plerique habent, *notum hoc eſt*, cum ob languorem poſt alia fortius jam antea dicta, tum quod ἅπαξ λεγομένῳ non opus fuiſſet, ſed exſpectaſſes, ירוע זה. At placet, *confabulatio haec eſt totius terrae*. Sed quisque ſuis hic auribus judicabit, tota orationis ſerie perlecta.

966. יָדוּעַ *clarus? nobilis?* Deut. I, 14.

Judices Moses legisse se dicit, *viros sapientes, prudentes,* וִידֻעִים, quod quidem active, *peritos,* vertunt LXX. Vulg. et Onkelos: nec equidem negaverim activi etiam participii punctis וְיֹדְעִים instrui posse. Octo quidem codices manifeste et in literis participium Paul habent, וידועים, sed et hoc participium aliquando active sumi, minime negaverim. At Syrus, harmonice vertens, ܝܕ̈ܝܥܐ, quod est vocabulum ejus linguae usu tritissimum, *insignes, illustres* viros significans, (proprie, *notos, nobiles*) ad hanc me opinionem deduxit, esse et in Mose passive accipiendum, et ex usu Syrorum explicandum. Vide exempla in Assemani bibliotheca Or. T. I. p. 373. *ob genus viri, et quod erat magnus,* ܘܝܕܝܥܐ *et illustris, ac bello fortis:* item pag. 428. de Arabe, monachos depositum reposcente, illis timentibus, quia ܡܢ ܝܕ̈ܝܥܐ ܗܘܐ *ex nobilibus erat.* Quin et Ἐπιφανής, cognomen Antiochi, Syriace ܝܕܝܥܐ redditur; vide Ephraemum T. II. pag. 227. summa, linea statim prima, ܐܢܛܝܘܟܘܣ ܝܕܝܥܐ. Passive et verterunt Arabs Pol. معروفين et Maurus معلومين *notos.* Hae quidem mihi partes, plane suadente grammatica, videntur potiores, ambigo tamen inter

1) *notos, spectataeque integritatis ac sapientiae,* et

2) *insignes, illustres, nobiles,* nam et in judicibus nobilitas spectari, nec certe de plebis faece legi debent.

Hoc exegetis existimandum relinquet lexicographus.

967. דֵּעַ *sententia, cogitatio, idea.* Ps. CXXXIX, 2.

Nomen ipsum in Jobo, maximeque Elihui orationibus frequentius, recte a melioribus, *sententia* (id quod visum nobis est) non, *scientia* versum, ne nimis Elihu thrasonice loquatur, occurrit etiam ex quatuor

Kenni-

Kennicottianorum codicum lectione Pſ. CXXXIX, 2. בנת לרעי מרחוק, ubi latine optime vertes, *intelligis cogitationes*, vel, *ideas meas eminus.*

968. יְהָב *dedit* Pſ. LV, 23. neutiquam nomen.

Notiſſimum Syris, Arabibusque verbum, ܝܗܒ, وهب, *dedit*, quod et in imperativo Hebraice occurrere, הַב et הָבוּ, dudum notarunt lexicographi: ex hoc quidem, nulla alia ope aut artificio lucere putem Pſalmi LV, 23. *projice in Jehovam* יְהָבְךָ *id quod dedit tibi*, fata tua proſpera et adverſa, quae ipſe Deus dedit tibi. Elegans ſententia, quod deus nobis impoſuit deo reddendum eſſe. Sic et jam, quem non poſſum non laudare, in lexico Kimchius.

At, mirum, ex hoc verbo nomen fecerunt prope omnes, inter ſe valde diſcordes,

1) plerique, *onus:* qui ſi *id quod nobis dedit*, ſeu *impoſuit*, onus interpretarentur, non recuſarem, verbum tamen foret, omiſſo אשר, non nomen. Verum ad Aramaeïsmum, alii adeo ad Arabismum provocant, ex Thalmudicis ſumtum. Nempe tradunt Thalmudici, *ſe neſciviſſe quid ſit* יהבך, *donec ex mercatore, Syro an Arabe* (varia enim lectio) *audirent, cape* יהבך *ſarcinam tuam, et impone camelo.* Nec lingua Arabica quidquam ejusmodi nec Aramaea habet, repudiandique, qui ex mercatoris unica voce, forte non recte intellecta, aut ne recte quidem audita, facillimi verbi novam interpretationem arripuerunt.

2) Chaldaeus *ſpem*, LXX *μέριμναν* illisque conſone Syrus ܝܨܦܐ *ſolicitudinem* interpretantur. Unde? ex conjecturane? an ex هاب *timuit?* an דהבך legentes? Primum mihi veriſimilius.

יהודה vide ſub ידה, num. 958.

969. יהץ et יהצה Num. XXI, 23. Jos. XIII, 18. Jes. XV, 4. Jerem. XLVIII, 21. 34.

De Jahasae, Moabiticae olim, deinde Amoriticae, postea Rubeniticae, quae tandem ad Moabitas rediit, situ, contradicentia referre Eusebius videri possit, et Hieronymus: ille enim in libro de situ et nominibus locorum Hebr. (*) δείκνυται, inquit, νῦν μεταξὺ Μηδαμὼν καὶ Δηβοῦς, i. e. ipso Hieronymo interprete, *et usque hodie ostenditur inter Medaban et Debus;* hic in commentario in Jesaiam, *urbs Jaza mortuo mari imminet, ubi est terminus provinciae Moabitarum*, Clerico (ad Jesaiam) monente, *Medabam et Dibon non ad mare mortuum fuisse, nec tutum esse Bethlehemitico Ascetae per omnia fidere.* Id quidem nec ego fecerim, nec tamen Hieronymo, ubi de urbibus Bethlehemo tam vicinis testis pene scribit, temere fides abneganda. Illa quidem Jahasa, ad quam praelium commissum, Num. XXI, 23. ad mare mortuum quaeri neutiquam potest, sita sine dubio ab Oriente regni Amoraeorum, in deserto. Sed forte duplex Jahasa fuerit, Orientalis in deserto, occidentalis mari mortuo imminens, ut duplex nomen est, יהץ et יהצה, inque eodem Jeremiae de Moabitis, vaticinio c. XLVIII. יהצה v. 21. יהץ v. 34. memoratur. Haec ut verisimilia scribo, ab aliis curatius, quam nunc mihi licet, expendenda.

970. יָהִיר *demens* Prov. XXI, 24.

Superbum plerumque vertere solent, nec negari potest, Chaldaeis יהר esse, superbire. Vix tamen haec notio filo orationis, in qua זד *superbus* praecedit, apta, quis enim dixerit, *superbo, qui superbus est, nomen est, irrisor?* nec Chaldaeorabbinicae linguae certa auctoritas. Ergo ab Arabica opem petere malim, utrumque verbum, وهر et يهر

(*) Operum Hieronymi, editionis Benedictinorum, T. II. p. 453.

بهر cognata ſignificatione habente. Illud eſt, *conturbare, attonitum facere, in periculum conjicere ex quo nullus exitus:* إستبهر (conj. 10) *dementatus fuit, terrore vel pavore correptus fuit.* Verterim ergo: *ſuperbus demens factus.* Superbus, cum in veſaniam agitur, irriſor fit, nomenque לֵץ accipit.

יוֹב nomen proprium Geneſ. XLVI, 13. vide pag. 40.

971. יום *dies.*

Notiſſimum nomen, ſed de cujus quibusdam ſignificationibus aliquid addendum.

1) Job. I, 4. legimus, בית איש יומו, quod fere vertunt, *quisque domi ſuae*, ego mallem, cum בית ſuffixo careat, *in aedibus cujusque die ſuo*, manente tamen aſperiore ellipſi praefixi ב, (pro בבית).

Syris quidem ܒܝܬ ܝܠܕܐ *domus nativitatis, dies eſt natalitius*, ut Matth. XIV, 6. Marc. VI, 20. unde et feſtum nativitatis Chriſti, jam plene ܒܝܬ ܝܠܕܐ ܕܡܫܝܚܐ, jam brevius et κατ' ἐξοχὴν ܒܝܬ ܝܠܕܐ. Quid ergo ſi et hic בית יום *dies natalis* ſit, trajecta conſtructione, *quisque die natali ſuo* convivium parabat. Sic veriſimilius inſtruitur fabula, nec quidquam fruſtra ponitur. Mihi hoc ita viſum fuit ſimile, ut in verſionem germanicam reciperem.

2) יום Deut. I, 1. de *diei itinere* ponitur, ut menſurae nomen, אחד עשר יום *undecim dierum itinere* a Chorebo: nec enim ſtationes Iſraelitarum numerantur, quae ſi Num. XXXIII evolvas, multo plures a Chorebo fuerunt, *viginti et una* Kadeſcham, *triginta* ad campeſtria Moabitidis. Quaeras ergo forte, quantum ſit Orientalibus diei iter? Hoc quidem Arabes in minus, mediocre et majus dispertiri ſolent, Abulfeda minus diei iter, (مسيرة vel مرحلة) aeſtimante XII milliaribus Arabicis, mediocre XXIV, majus XXX. Habet autem

gra-

gradus, secundum veteres Arabum geographos $66\frac{2}{3}$ secundum recentiores Abulfedamque $56\frac{2}{3}$ milliaria. Ita neglectis numeris fractis minoribus, minus diei iter faciet circiter $3\frac{1}{5}$ milliaria germanica, mediocre $6\frac{2}{5}$, majus paullo minus quam 8 milliaria. Jam videbitur Moses de minoribus intelligendus itineribus, quorum XI faciunt fere 35 milliaria germanica: quod si propter flexus viarum paulo etiam facere lubeat majora, non obnitor. Kadesae quidem situm ignoramus, Hierosolyma in mappis d'Anvillianis circiter 50 vel 51 mill. germ. abest a Chorebo.

3) יָמִים *dies*, elliptice pro anno poni, in lexicis jam monitum, addito manifesto exemplo et probante, Levit. XXV, 29. Adscribo exempla plenioris dictionis, שְׁנַת יָמִים *annus*, (proprio sensu, quo idem sonat quod annulus, a ثنى *plectere*) *dierum*, Genes. XLI, 1. Jerem. XXVIII, 3. 11. paulum mutata quidem constructione שְׁנָתַיִם יָמִים *duo anni, nempe dierum*: et תְּקֻפַת יָמִים *circuitus, circulus dierum* 1 Sam. I, 20. ellipticaeque, Genes. XXIV, 55. (*) Num. IX, 22. (sic duo Arabes (**)) Judic. XIV, 8. Nehem. XIII, 6. Sic et nomen accipiendum putem Amos IV, 4. *offerte* לִשְׁלֹשֶׁת יָמִים מַעְשְׂרֹתֵיכֶם *per triennia*, vel, *tertio quovis anno, decimas vestras*. Nempe tertio anno rationes decimarum absolvebantur, et hucusque debi-

(*) Secundum textum Hebraicum: Samaritanum enim יָמִים אוֹ חֹדֶשׁ explicandum putem, *aliquot dies, aut mensem, aut decem menses*. Habet et Syrus mensis nomen, ܝܪܚ ܝܘܡܬܐ *mensem dierum*. Sed Hebraica lectio praeplacet.

(**) Aliter alii. Chald. et Vulg. *longius tempus*. LXX *μηνὸς ἡμέρας πλεοναζούσης, cum mensis uno die longior esset*, ut in annis lunaribus sexies accidit, sex menses 29, totidemque 30 dierum habentibus. Hoc quidem ex Hebraicis verbis, nisi lectione mutata, exsculpi vix potest.

bitae pendebantur, unde hic annus שְׁנַת הַמַּעֲשֵׂר *annus decimarum* dicitur Deut. XXVI, 12. *Singulis triduis*, vel tertio quovis die, nemo decimas pependerit, aut pendere possit, procul domo *in ipso altari* immolandas.

972. יָוֵן Ps. XL, 3. LXIX, 3.

Vocabulum obscurissimum, quod nimis fidenter Kimchius, eumque sequuti recentiores, *lutum*, vel *coënum* interpretantur ne apte quidem ad טִיט הַיָּוֵן quod Ps. XL, 3. legitur, quis enim: *lutum luti* dixerit? Phrasis אַדְמַת עָפָר quam Kimchius adfert, plane hujus non est generis, nec enim *terra*, et, *pulvis*, unum idemque. Nec eadem, quae recentiorum Kimchio credentium, veterum concordia, sed ita vertunt, ut ignorasse et conjecisse videantur, LXX utrobique *lutum*, (ἴλυν). Vulgata et Hieronymus, jam *faecem*, jam *lutum*, jam *coenum*, Chaldaeus in psalmo 40 *limum*, in 69 *aquam* (מַיָּא), Symmachus ἀπεράντους καταδύσεις, *infinitas voragines*, Syrus in Ps. 40. ܡܚܒܠܐ *internecionem*, in 69 ܥܘܡܩܐ *voraginem*. Accedit, quod nullam radicem יון habent linguae Orientales, sed solum Graeciae nomen proprium. Est ergo, donec uberior linguarum Orientalium notitia aliquid novae lucis offerat, aut destituendum vocabulum, aut conjecturis tentandum. Mihi in mentem venerat mutatis vocalibus יון ad radicem ינה, ونى *torpuit*, referre, ac lutum *pigrum*, *immobile* intelligere: sic quidem olim in collegio critico, nec tamen dubitare desino. — — Varietas lectionis, ex qua melius quid exsculpi possit, in codicibus Kennicottianis nulla.

973. יָוָן *Graeci*, *Graecia*.

Dubium esse non potest, quin sint Graeci, ܝܘܢܝܐ Syris, يونانيون Arabibus. Vide Spicilegium geographiae Hebraeorum

exterae T. I. p. 39. seqq. Sintne vocales probandae, an יון *Jon* adpellandum, anceps et longa quaestio: mihi quidem *Ion* praeplacet.

Herodoto teste, l. I. c. 56. 57. 58. Graeciam duo olim populi habitarunt, sensim in unum coalescentes,

1) *Iones*, *Pelasgicae stirpis*, de quorum lingua ipsi non constabat, licet suspicaretur, barbaram fuisse,

2) Dores, graece loquentes, et proprie Ἕλληνες.

Ergo ut Graeci sibi ipsi ab hac gente Ἑλλήνων nomen fecerunt, ita Orientales alterum *Ionum* toti Graecorum populo indiderunt, nec id mirum, cum vel ex Herodoto discamus Iones initio multo fuisse potentiores. (Τὸ δὲ Ἑλληνικὸν - - - ἀποσχισθὲν μέν τοι ἀπὸ τοῦ Πελασγικοῦ, ἐὸν ἀσθενὲς ἀπὸ μικροῦ τέο τὴν ἀρχὴν ὁρμεώμενον &c. c. 58.)

Ezech. XXVII, 13. legens, mirari possis, Graecos seu *Ionas* non solum cum Moschis et Tibaranis conjungi, sed. et easdem Tyrum merces perferre, mancipia et vasa aenea: cui loco non satisfacere, qui eum explicare adgressus erat, Bochartum, in *spicilegio* jam *geographiae Hebraeorum exterae* T. I. p. 43. 44. professus sum: nec quae ipse ibi scripsi mihi nunc satisfaciunt. - Jam mihi versum relegenti, *Graeci, Tibareni et Moschi mercatores tui erant, mancipia humana et vasa aenea tibi adferebant*, non videtur de Graecis in ipsa Graecia sermo esse, sed de habitantibus in vicinia Tibarenorum, quorum metropolis Sinope. Quin in ipsis Tibarenorum terris colonias Graecas Sinopensium, et vero satis veteres, invenit Xenophon, αὐτόπτης, de *Cyri expedit.* l. V. c. 5. §. 3. ὡς διὰ φιλίας πορευόμενοι δύο ἡμέρας, ἀφίκοντο εἰς Κοτύωρα, πόλιν Ἑλλενίδα, Σινωπίων ἀποίκους, οἰκοῦντας ἐν τῇ Τιβαρηνῶν χώρᾳ, *pacatum bidui iter facientes, Cotyora venerunt, Graecam urbem, cujus incolae, ortu Sinopenses, in Tibarenorum regione habitabant.* Jam ergo lucet Ezechielis locus, ex quo nuper anonymus cona-

conatus eſt (*), efficere, יון nomen eſſe Hamathenſis et Damaſcenae Syriae. Quo huc indicio pervenerit? quaeras forte! Meſech et Tubal in Arabia quaerit! ergo et in vicinia Javan!

At ab ipſo Moſe, Geneſ. X, 3. ויון ותבל ומשך conjungi, id vero magis etiam *παράδοξον*. Facile conceſſeris Ezechielis, id vero eſt Nabochodonoſaris tempore jam in vicinia Tibarenorum, Graecos habitaſſe, quos ſub Cyro ſecundo non in vicinia modo, ſed et in ipſis Tibarenorum terris Xenophon invenit. At Moſisne jam tempore haec loca coluerint? Ab Argonautis Sinopen conditam aliqui volebant (**), verum Argonautae diu poſt Moſen. Hunc quidem ſi audias, videtur aliquid tradere hiſtoriae antiquiſſimae, non ante Argonautas ſolum, ſed et ante fabuloſa Graeciae tempora: *primas ſedes gentis Graecorum* יון *in vicinia Tibarenorum, forte circa Sinopen, olim fuiſſe, inde emigraſſe, eas, quas v. 4. narrat colonias, Graeciam jam Moſis tempore tenentes, Macedones, Dodonaeos, Hellenas* &c. Non eo usque antiquitatis adſurgit Graeca quae Graecis literis continetur hiſtoria, ut cum his primaevi orbis, quae ſuo jam tempore antiqua prodit Moſes, comparari poſſit.

974. יון felicis Arabiae. Ezech. XXVII, 19.

יון Ezech. XXVII, 19. Graecia eſſe nequit, in Arabia quaerenda, aut urbs aut regio. Invenit Bochartus (geogr. ſ. l. II. c. 21. 117.) ex

(*) *Zum Zacharia beygebogene Weiſſagungen.*

(**) Strabo libr. XII. p. 822. (al. 546) narrat, Lucullum Sinope capta abſtuliſſe *τὸν Αὐτόλυκον, Στένιδος ἔργον, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον, καὶ ἐτίμων ὡς θέον, ἦν δὲ καὶ μαντεῖον αὐτοῦ. Δοκεῖ δε τῶν τῷ Ἰάσωνι συμπλευσάντων εἶναι, καὶ κατεσχεῖν τοῦτον τὸν τόπον: Autolyci ſtatuam Stenidis opus, quem urbis credebant conditorem divinisque colebant honoribus: oraculum quoque Autolyci ibi fuiſſe. Credi Autolycum ex his fuiſſe, qui cum Jaſone navigarint, et hunc locum occupaſſe.*

ex Giggeji lexico adferens, يَوْن seu ut alii scribant يَوَان nomen proprium oppidi Jemanensis. Plura non habeo.

975. יָזַם *obstrinxit se.* Genes. XI, 6.

Ἅπαξ λεγόμενον, si consvetam lectionem et puncta vocalia sequaris, כל אשר יָזְמוּ לעשות Genes. XI, 6. Merae conjecturae est, aut adliterationis ex זמם, quod pleraque lexica habent, *cogitare*, (*quod cogitarunt facere*). Nec vero ipsam repudiaverim versionem, quam plerique veterum, aut omnes praeiverunt, Chaldaeus, Syrus, Vulgata, uterque Arabs, Graecus anonymus, (ἐννοηθήσονται,) forte et LXX ἐπιθῶνται, nisi hi cum Samaritano יזמנו legerunt, at verbum יזם, quod puncta masorethica habent, conferendum putem cum Arabico وزم, unde نفسه وزّم *obstrinxit se*, et vertendum: *non arduum erit illis negotium ad quod obstrinxerunt se.* Sed sola existimari velim puncta masorethica grammatice explicare, ipse יָזֹמּוּ *cogitant*, praeferens.

976. יזן *gravis fuit* Jerem. V, 8.

Non potest, nisi ad radicem יזן referri Keri מְיוּזָנִים, cujus significatio non, ut fecerunt lexicographi, conjectura, aut aliorum verborum ut זון alere, comparatione quaeri debebat, cum eam ultro offerat Arabia. وَزْن *pondus* est, et وَزِين *ponderosus.* Erunt ergo סוסים מיוזנים *equi adipe graves et onusti.* Germanice quoque, *schwere Pferde*, de majoribus ponimus.

At Cthib מוזנים possis referre sive ad זון *alere*, sive ad מזן, quod vide infra suo loco.

LXX θηλυμανεῖς verterunt, (*furentes in feminas*) eodemque modo Syrus ܐܘܡܢܐ, seu, ut malim, ܐܘܡܢܐ, Hieronymus,

amato-

amatores in feminas. Hos omnes, (non bonos quidem grammaticos) cum זנה *scortari* contulisse reor.

977. יזע Ezech. XLIV, 18.

Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, in quo nos destituunt linguae Orientales, Syriaca plane non habente, Arabica habente quidem ورع et ورغ sed illis significationibus, quae nihil opis largiri loco Ezechielis videntur: cujus rei consequens est, ut certi nihil habeamus. *Sudoris* quidem notionem ut certam sumere plerique solent, quos et in versione germanica sequutus sum, opinabilia dicentes; hic tamen fas est et dubitare docere lectores.

Sudoris notio ex Vulgata sumta, ac primum a Reuchlino in lexicon recepta. Habet et Raschi, sed monens, alios intelligere vestes ex lana, quippe quae sudorem adferant corpori. Hieronymus, ut ex ipsius verbis infra adscribendis constat, ex Aquila (secum discorde) et Symmacho vulgatae intulerat: primus ergo interpretationis auctor ipse dubius erat, seque in secunda editione corrigebat. Nec quidquam pro sudoris notione linguae habent Orientales, nisi forte Arabicum وَدَعَ *fluxit* unde وَادِعٌ *fons, aqua fluens,* adferre aut potius cogere ad opem nostrae interpretationi ferendam velis. Nec tamen veri dissimiliter זעת אפים *sudorem vultus,* ex recentioribus contulerunt nonnulli.

LXX. βίᾳ, *vi,* vel, *violenter.* Id vero est, *non nimis arcte atque constricte,* (utor verbis Hieronymi). Hoc quidem potuerit יזע significare, Arabibus enim ورع est, *cohibere, coercere.*

Sed jam ipsa adscribo ex commentario in Ezechielem (T. III. p. 1029 editionis Benedictinorum) verba Hieronymi, notas ubi opus videbitur, subjiciens: *Quodque sequitur juxta Septuaginta:* et non accingentur violenter; *pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt,* in

ſudore, *Theodotio ipſum verbum Hebraicum exprimens, poſuit, in IEZE; Aquilae ſecunda editio* BUSA (*): *per quod ſignificat, non eos violenter, arcte atque conſtricte inſtar vinctorum eſſe cingendos, ne in miniſteriis ſacerdotalibus atque leviticis inhabiles fiant, et tenere et caedere victimas, attrahere quoque nequeant atque discurrere.* Bona interpretatio verſionis Alexandrinae, ſed quomodo hoc ex BUSA Aquilae effici poſſit, non adſequor.

Plane aliter Chaldaeus, *non accingent lumbis ſuis, ſed pectori.* Nempe Thalmudici volunt, יזע eſſe *locum ſudoris.* Vide Kimchii lexicon.

978. יחף *discalceatus.*

Alio literarum ordine habent Arabes ſub حفي *discalceatus fuit,* Syri ſub ܦܚܝܐ *nudipes.* Vide exempla in Caſtelli lexico adlata, et Ephraemi opera T. I. p. 82.

979. הִתְיַחֵשׂ 2 Paral. XII, 15.

Varie veteres. Chaldaeus, *in libro genealogiae domus Davidis,* LXX. καὶ αἱ πράξεις αὐτοῦ, Vulg. *diligenter expoſita,* Syrus plane omittit. Equidem putem vertendum, *quoad genealogiam,* i. e. quoad hiſtoricam partem horum prophetarum, quam, plane ut Jeſaias c. 36-39, vaticiniis ſuis addiderunt. De *genealogia* pro *hiſtoria* poſita vide infra ſub תולדה num. 986. dicenda.

980. מֵיטָב, יָטַב *paſcualia, depaſtio.*

Verbum יטב plerumque idem eſſe, quod טוב, atque ab illo ſignificationem mutuari, dubio caret, licet hanc radicum permutationem

(*) Margini adſcripſerunt editores: בוזע, *legebat cum Vau, non cum Jod.* Nullus quidem ita codex Kennicottianus, ſed res manifeſta. Verum et id miror, ſi בוזע legebat, quid ſit, cur non BUZA pro lege et conſvetudine linguarum ſcripſerit? Habebatne in ſuo Aquila exemplo בוצע?

nem cum sola Rabbino-Chaldaica communem Hebraica lingua habeat, Syris Arabibusque insolitam. At ex ea vix expediri potest, מיטב הארץ Genes. XLVII, 11. *Optimam* plerique *et fertilissimam partem Aegypti* intelligunt? Sed hanc civibus atque agricolis ereptam quis sanus tradat exteris Nomadibus, et vero numerosos ovium greges pascentibus, quibus pascua arenosa salubria? Ergo cum Arabibus وطب sit, *adsiduus et frequens fuit*, indeque مَوْطُوب *multum frequentatus pascendo* locus, malim, *pascualia terrae*, agris cultis opposita, intelligere. Vide et quae supra de גשן ejusque situ scripsimus. Ex eadem notione et Exod. XXII, 4. explico: *depastionem vineae et agri rependet*. Vide versionem Germanicam, et jus Mosaicum T. III. §. 161. p. 125. 126.

981. יַיִן *vinum.*

De sola notissimi nominis derivatione dicendum. Formae קַיִן esse videtur, utque hoc ipse Moses ad קנה refert, יַיִן ortum a ינה Arabice ونى *obtorpuit*, *somnolentus fuit*, quod torpidos vinum largius justo haustum facit et somnolentos.

982. יַךְ 1 Sam. IV, 13.

De vocabulo in solo Cthib lecto, diligentius reliquis et verisimilius egit Simonis, contractum ex ירך *latus* statuens, quem exscribere ab instituti nostri ratione abhorret. Aliqua tamen, ut in incerto ac maxime dubio verbo, addo.

1) Literas si aliter in verba dispertiaris, haec prodibit ex Cthib satis bona sententia, יושב על הַכִּסֵּא אֵיךְ דרך *sedebat in solio juxta viam.* Sed non placet.

2) Chaldaeus vertit, על כבש ארח *in gradu vel elevatione viae.* Sic fuerint in porta (ad utrumque credo latus) aliqui gradus, vel loca exaggerata, in quibus solium posuerat Eli, vultu ad viam cam-

pum-

pumque directo. Potueritne יך aliquid ejusmodi significare, pro certo non dixerim: possis tamen referre, N eliso pro יָנַךְ, ad ونك *sedem fixit.*

3) Pro בעד יד השער v. 18. Chaldaeus iterum יך legisse videtur, vertens, (*cecidit*) על כבש אורח תרעא *super gradum ad viam portae.* Nullus quidem codex consentit, sed bona sententia: *de solio decidit per gradus qui erant ad portam.* Consveta lectio בְּעַד יַד הַשַּׁעַר, quam vertunt, *ad latus portae*, suspecta: primo enim quid ad rem, quod *ad latus* portae cecidit? deinde בעד non est, *ad*, sed, *per.*

Dubito, et dubitaturis haec scribo, quae cum receptis explicationibus comparent et expendant.

983. יכח, *inquisivit, disputavit.*

Nulla praeter Aethiopicam lingua Orientalis verbum disputandi et litigandi significatione habet: Aethiopica quidem versio Luc. XXII, 24. pro φιλονεικία ponit. At Arabica primam nos, nisi fallor, *fodiendi, alte effodiendi* significationem docet, cui in quarta أَوْكَحَ, est, *lapidosum usque ad fundum pervenit in fossione.* Ab effossione *scrutationem* dictam puto et *inquisitionem adcuratam*, etiam eruditam, (quo sensu accipio Job. VI, 25, *quid investigat, quid novi reperit, investigans ex vobis*) ab anquisitione *disputationem.* Mallem plura dare, sed his, quae habeo, contenti sint lectores.

984. יָכֹל *potuit, mandatum accepit* (a Deo), *confisus est, ausus est.*

Notissimum verbum, *potuit*, significans, sed solis hac vi Hebraeis, Chaldaeis et Samaritanis, usitatum, non Arabibus, ac ne Syris quidem, ut quaerere possis, unde illa orta? Accedit quod et formam semipassivam per Cholem in media radicali habet, inque futuro

אוכל

אוּכַל, quod si futurum Kal est, unice anomalum et singulare, sed ex regula conjugationem mere passivam Hophal prae se ferre videtur (*). Arabibus adeo وَكْل et مُوَاكِل *impotens*, *impar*, ut contrarium significare videri possit.

Arabibus quidem tria verbum وكل cum suis derivatis significat, hoc nisi fallor ordine dispertienda

1) *segnis fuit*, unde وَكَال *segnities*, atque, ut vixdum dixi, وَكْل *impotens*. Hujus notionis nullum in Hebraismo biblico vestigium superest. Hinc

2) *reliquit*, destitit, de quo vide infra sub חכל.

3) *reliquit alii*, i. e. *ei commisit*, demandavit, quae frequentissima significatio, ex qua plura derivata, ut, وَكِيل et وُكُول, *cui aliquid commissum est*, *administrator regius* &c.

Jam sciamus, linguas Orientales, quae providentiam numenque divinum fortius quam nostrae et saepius exprimere solent, de illo, qui aliquid potest, dicere, commissum id ei vel demandatum a Deo esse; nempe quod is, cui deus aliquid demandavit certe id poterit, vincet hostes vel fortissimos, si deus illum, si fatorum liber jusserit. Sic Arabes, مَكَّنَ لَهُ الله *Deus illi potestatem dedit*, aut تَمَكَّنَ *potestatem accepit*, pro *potuit*, ut alias de fortuna, تُمْكِنُهُ فيه الغرصة *potestatem rei et dedit occasio.* (Chrest. Ar. p. 60.) Sic jam

(*) Notatu etiam dignum Simonis observatum, nomen proprium יוּכַל Jer. XXXVIII, 1. quod interpretatur, *POTEST*, vel, *POTENS*, c. XXXVII, 3. servato He characteristico Hophal scribi, יְהוּכַל. Possis tamen et aliter instituta derivatione יו et יְהוֹ ad nomen Jehova referre, unde hoc uti argumento non audeo.

jam יֻכַל erit, *in mandato habuit*, *jussus est* a Deo. Sic alias de hostibus dicunt Hebraei הִסְגִּיר *clausum illum tradidit*, vel מָכַר *vendidit Deus in manum hujus vel illius.* – – Sic et, ut Arabes dicunt, تمكن منه *potestatem accepit de illo*, i. e. *praevaluit ei*, Hebraei יֻכַל מִמֶּנּוּ eadem ponunt sententia.

Notandus inprimis locus, ubi incertum, utrum hac consveta, an adeo prima committendi ac demandandi significatione ponatur, 1 Reg. XXII, 21. et *dixit Jehova*, תְּפַתֶּה וְגַם תּוּכָל *decipies illum et praevalebis?* an, *et id tibi jam demando.* Venit et in mentem, Jes. I, 13. אוּכַל, sed activis punctis instruendum, verti posse, *iniquitatem et festum non praecepi vobis*: dubito tamen adhuc conjecturam.

Sunt et loca, quibus ipsa *confidendi* significatio, quam Arabes in quinta maxime et octava conjugatione habent, egregie apta, ut Jes. XVI, 12. ex alia lectione, de qua vide bibliothecam Orientalem Adpend. tomi XIV. p. 17. Jerem. III, 5. *ita loqueris*, *mala simul facis*, *et confidis*, i. e. bono animo es, (huic certe loco praevalendi notio, quam ei tribuere solent, parum apta). A *confidendo* fluxisse et videtur, *audere*, his quidem locis aptius, quam, posse, aut praevalere: Exod. XIX, 23. *non audebit populus conscendere montem*, *tu enim testatus es* &c. XL, 35. Hos. VIII, 5. (*non audent puritatem*, ut Latini, *aude sapere*, *aude hospes contemnere opes*) Ps. XL, 18.

Lege loca et delibera, adde quoque Job. XXXI, 23. hac versione: *terrori enim mihi erat exitium a Deo*, *et a majestate ejus non confidebam* i. e. *tutus non eram*.

מיכל quaere sub מ.

985. יָלַד *educavit.*

Arabibus ولّد est, *educare*, denominativum, ut puto, a وَلَدٌ, יֶלֶד, *filius*, *puer*. Adscribit quidem Golius, aliique lexicographorum:

rum: *sed quae ficta videtur a Muhammedanis significatio, ut de Christo oraculum* (Pſ. II, 7.) انت بني انا ولدتك *cujus in Corano mentio fit eludant, Christum revera abnegantes*, iniquior ſane Muhammedanis. Divinam hi quidem Chriſti naturam aeternamque generationem non agnoſcunt (de qua locum pſalmi ne Paulus quidem, nec ex patribus doctiores, accipiebant) at miraculoſe eum conceptum ex verbo adflatuque dei, ipſe non uno loco Coranus teſtatur: ullane jam ſuſpicio, *Camuſum*, cujus auctoritate ſignificatio adfertur, hic ſolo chriſtianorum odio aliquid commentum eſſe.

In ipſo quidem Hebraico codice, ſed mutatis punctis, verbum ita occurrere cenſeo, Jeſ. XLIX, 21. ubi mater, multitudine filiorum circumdata, interrogat, מִי יָלַד לִי אֶת אֵלֶּה, mire quidem ſecundum puncta, ſive (nec ſine vitio grammaticali) vertas, *quis mihi hos peperit*, nemo enim praeter ipſam parere potuit, ſive, ut jubet verbum maſculinum ילד, *hos quis mihi genuit*, ipſa enim ſcire debet, niſi publicum ſit omnibusque commune proſtibulum. At effer יִלֵּד et verte, *hos quis mihi educavit*, non omnia ſolum plana et lucida, ſed et concinit ſequentis membri parallelismus, וְאֵלֶּה מִי גִדֵּל. Apta et ſententia his quae v. 23. ſequuntur: *reges erunt nutritores tui, eorumque uxores principes nutrices tuae.* Hoc quidem non quosdam, ſed omnes quos evolvi, fugere potuiſſe, mirandum.

Fuerunt non pauci ex Judaeis, qui hoc ſignificatu et ילדתיך Pſ. II, 7. acceperunt, *filius meus tu es, ego te hodie educavi*, male illi quidem, ut opinor, nec enim bonae eſſe ſolent interpretationes polemicae, ſed tamen injuria verbo ille ſignificatus negatus a chriſtianis aeque polemicis. Suſpicor etiam, codices ſi adcuratius evolvantur, in quibusdam יִלִּדְתִּיךָ inventum iri, exque hac punctorum lectione Chirek ſub Lamed in יְלִדְתִּיךָ pro יְלַדְתִּיךָ ſupereſſe, in quo, mi-

rum dictu, alta quaesita mysteria, supernaturalis aeternaeque generationis.

986. תּוֹלֵדָה *genealogia*, i. e. *historia* Genes. XXV, 19. XXXVIII, 3.

ספר תולדות pro *historia* dici, monitum, alienissimo quidem loco ad Matth. I, 1. ab interpretibus non paucis, hisque confirmatum exemplis, quae ita nihil probant, ut ea evolvens lector non possit non mirari, tam impudenter citantes, ut Genes. V, 1. XXXVI, 1. ubi manifeste de genealogia sermo, Genes. II, 4. ubi figurate natales coelo et terrae tribuuntur, plane ut Ps. XC, 2.

Nec tamen negaverim, תולדות et pro, *historia*, poni. Certius, ut mihi videtur exemplum, Genes. XXXVII, 2. ubi nulla genealogia sequente, sed historia, Moses: אלה תולדות יעקב. Hic etiam si qua se dubitandi det fenestra, usum adde Syrorum, quibus ܫܪܒܐ vel ܫܪܒܬܐ primo est, *familia*, deinde et *historia*, ut, in Assemani biblioth. Or. T. I. p. 33. *Ephraem Syrus narravit* ܟܠܗ ܫܪܒܗ *totam vitam suam*, Ephraemi Syri Opp. T. I. p. 18. *quem prophetam consuluisse Rebeccam supra diximus* ܒܫܪܒܗ ܕܡܠܟܝܙܕܩ in *historia Melchizedeci*. Vide et supra num. 979. Nempe cum duo sint historiae adminicula, chronologia et genealogia, ita eorum etiam nomen praevaluit, ut nostro tempore *chronologiae* nomen saepe praefixum habeat liber historiam enarrans, apud Hebraeos autem cognatosque populos, qui aeram perennem ante Seleucidarum seu Graecorum aeram, non habuerunt, *genealogia*, quam maxime Orientales colebant et ediscebant, pro *historia* poneretur.

987. יָלַה *tristis*, *adflictus fuit*.

Verbum in lexicis omissum. Genes. XLVII, 13. legitur, וַתֵּלַה . . . . *terra Aegypti et terra Canaan propter famem*, vel, *fame*. Hic

Hic quidem ignotum verbum ad radicem לאה referunt, *defatigata est*, *defecit*, praeeuntibus, fateor, veterum nonnullis (*), ac recte fine dubio, si cum Samaritanis ותלא (futurum apocopatum ex ותלאה) legas, at ותלה per He, et vero Mappikatum, salvis legibus grammaticis ita exponi nequit. Haec quidem textus Hebraici lectio, ac vero codicum omnium hucusque excussorum, erit a radice ילה Arabice وَلَهَ *tristis fuit*, unde et desertum مِيلَهٌ dicunt, et vertenda, *tristis seu vastata fuit terra Aegypti et Canaan fame.* Ex peritiane linguae, an conjectura felice, idem habet Syrus, ܡܬܚܪܒܐ *vastabatur?* – – Vulg. ex mera conjectura, ut in verbo ignoto atque ἅπαξ λεγομένῳ, *oppresserat fames terram.*

ילד Vide obiter dicta p. 532. num. 557.

תולל quaere sub ת.

988. ילע *injuste retinuit aliena*, Prov. XX, 25.

Diffident interpretes ac laborant in Prov. XX, 25. *tendicula est homini si* ילע קדש verbum ad radicem alii לוע, ad לעה alii referentes: at vero cur nemini in mentem veniebat radicis his ipsis literis in tertia perf. masc. sing. praet. Kal scribendae, ילע? quae licet optime hic locum tueatur, ex lexicis tamen, nec ex illis solum, sed et commentariis exsulat: وَلَعَ est,

1) *mentiri*, unde وَلْعٌ وَالِعٌ *mendacium ingens et purum putum*

2) *retinuit*, vel *abstulit aliena.*

3) *cupidus fuit*, et vero fortiore significatu, ac maxime, *rerum alienarum.*

Hic

(*) LXX. ἐξέλιπε Onkelos אשתלהו, Saadias أَخْتَلَّ, Maurus عجز (*laboravit*).

Hic jam se offert, quod inter optare possis, utrumque illi aptissimum, qui vota solvere detrectat, *qui concupiscit sacra*, et, *qui injuste retinet sacra*, rem alienam, rem voto sacratam retinet, hocque se obstringit sacrilegio. Posterius mihi verisimilius.

989. יֶלֶק Jerem. LI, 14. 27. Joel. I, 4. Nahum. III, 15. 16. Pf. CV, 34.

In hoc vocabulo vel ii, qui verum aut vero proximum dixerunt, ita rem male gesserunt, ut cur illis adsentiendum sit, caussam non videas. Collatis quidem locis, quibus occurrit, parere videtur:

1) *non esse locustam*, ab hac enim Joel. I, 4. distinguitur, post eam veniens, et absumens, quae locusta reliquerat. Tenendum id contra Bochartum, qui P. II. hieroz. l. IV. c. 1. n. VIII. p. 444. 445. plane pro lubitu sumit, *locustam* esse, etymon modo explicans a לקק *lingere*, quod lingua sua lingat sata et fruges. Hoc quidem ipsum etymon gratis sumtum ac potius fictitium, יֶלֶק enim legens, quis non potius ad radicem ירק, alia omnia significantem, referat?

2) Ex Nah. III, 16. certum, insectum eorum de genere esse, quae cutem exsuunt, postque has exuvias alatae fiunt.

3) Jerem. LI, 27. ילק סָמָר dicitur, cum epitheto, *horridus*, *horrens*, *aculeatus*. Possit id brucho convenire, cujus pedes tales, sicque Vulgata vertit, *ut bruchus aculeatus*, possit, fateor et *locustae Indicae aculeatae*, quam Roeselius descripsit, Tab. VI, fig. 2. 3. et §. 41 – 42. sed locustis jam antea repulsam dedimus.

Haec omnia quidem *brucho*, quem LXX et Vulgata habent, ita apta, ut vix dubitari possit, quin recte verterint, ac temere ab illis Bochartus discesserit. Est vero bruchus primo vermiculus, sub terra repens, radicesque morsu vastans, (*Engerling* germanice dicimus) deinde fit alatus,

alatus, nobis a Majo menſe *Maykäfer* dictus. Equidem vermiculi potiſſimum habendam rationem cenſeo, cum quod eſt multo nocentior, ſatisque, quorum radices depaſcitur, peſtilentior, alato; tum quod illi maxime competit, abſumere quae locuſtae reliquerant. Radices hae reliquerant, ex quibus non raro depaſta ab illis ſeges regerminat, ac revireſcit, at has ipſas radices vermis bruchus depaſcitur: nec tamen et alatum excluſerim, de quo Nahum. III, 16. et Jerem. LI, 27. ubi poſt *exſuvias volare*, et, *horridus* eſſe dicitur, ſine dubio ſermo.

Syrus ubique ܙܚܠܐ *repentem, vermem,* vertit ſicque et Chaldaeus in Jeremia et Nachumo, זחלא, at idem in Joele, פרחא *volantem, alatum.* Verum utrumque eſſe poteſt, bruchus primo vermis, deinde poſt exſuvias, alatus. Poſſem ergo mihi angariare utrumque interpretem, nec forte injuria: candide tamen ut agam, fatear, neceſſe eſt, nondum certo exemplo conſtare, quid haec late patentia vocabula Aramaea זחלא et פרחא proprie dicant, bruchumne an aliud quid?

De etymo nondum audeo diſputare, quod nihil ſatis certi ſe offert. يَلَقٌ *album* ſignificat, ولق *properare:* ab utroque invenire ſive brucho ſive vermi ex quo oritur, nomen poſſis; ſed malim aliis relinquere.

990. ימך *amplus, ſpatioſus fuit.*

Ad hanc radicem, qua lexica carent, תומיך Pſ. XVI, 5. retulit Schultenſius, quem in collegio critico p. 133. ſequutus ſum. Nempe وَمْكَةٌ a Camuſo exponitur, فُسْحَةٌ *amplitudo, libertas.* Sed abdico multo meliore ſe ultro offerente, modo alia puncta ſubſternas, ſententia, תּוּמֶּיךָ גּוֹרָלִי *tuum Urim et Thummin eſt ſors mea.* Vide bibliothecam Orientalem T. XI. p. 205. ubi ſcriptis addo, quinque

adeo

adeo codices ſine Vau תמיך habere, quod quis non תָּמִיךְ extulerit? Accedit, quod ne ſatis quidem conſtat, ومكى *latitudinem et dilatationem* denotare: ſolus ſine exemplo habet Camuſus, et فسحة interpretatur, quo quidem nomine, plura ſignificante, quid intellexerit, num et prima vis nominis ومكة in *latitudine* fuerit, plane non liquet. Sufficiat, de verbo dixiſſe, quod olim lexicis inſertum volebam; jam nolim, atque adeo Arabicae linguae peritiorem, aut cui ad lexica manuſcripta acceſſus, ejus exempla flagitem.

991. יָם *mare, occidens, lavacrum aeneum, Nilus, Euphrates, duo maria, tranſire mare, mare arare.*

De notiſſimo vocabulo יָם mare, aliquae adhuc ſignificationes aut phraſes notandae.

I) *Mare* pro occidente poni, quod Palaeſtinae ab Occidente mare eſt mediterraneum, vulgo notum lectoribus codicis Hebraici, inque mediocribus lexicis enotatum et exemplis firmatum, quae dubii nihil relinquunt. Adnoto tamen, primo uſum Arabum in Syria viventium, deque Syria loquentium, ex Abulfedae Syria p. 9. *longitudo regionis Syriae cenſetur*, من الشرق الي البحر *ab oriente ad mare*, ubi manifeſtum, id velle ſcriptorem, *ab oriente ad occidentem:* deinde inſignem locum, in quo prima *maris* ſignificatio plane periit, Exod. X, 19. ubi *ventus occidentalis violentior*, (proprie, *ventus maris* רוח ים חזק מאר) *locuſtas in Aegypto ſuſcipit, inque ſinu Arabico mergit.* Hic, ut dixi, maris notio propria nullum omnino locum habere poteſt: mare enim mediterraneum Aegypto a ſeptentrione, ventusque ab illo ſpirans locuſtas ex inferiore Aegypto in ſuperiorem, ex hac, tota regione funditus everſa et vaſtata, in deſerta Nubiae deportaturus erat. Nempe Iſraelitae in Aegypto, atque ex Aegypto egreſſi, linguam Cananiticam loquebantur, quam Abrahamus, Iſaacus et Jacobus per 215

annos

annos suam fecerant, occidentemque vel in Aegypto mare, pro Palaestinae situ vocabant. Notandus etiam locus, difficilior primo adspectu, Hos. XI, 10. ubi dispersi Israelitae redituri dicuntur, מִיָּם, licet, ut ex historia, et versu sequente certum, non nisi in Aegyptum et Assyriam dispersi fuerint. Hic quidem יָם plane non est mare mediterraneum, ultra quod nulli Israelitae, sed simpliciter Occidens, Aegyptus Palaestinae ab Occidente sita.

II) Ad Ps. CVII, 3. tradere non pauci solent, מִיָּם esse, *ab Austro*, quem tota, fateor, series orationis requirit, voluntque, Austrum a mari Erythraeo dici: qui alteri contrarius usus vocabuli geographici perquam mihi suspectus, ipsa suspecta lectio, arbitrorque rescribendum, מִיָּמִין a *dextra*, i. e. ab Austro. Vide Ps. LXXXIX, 13. Nullum hanc lectionem codicem habere, miror, sed eo non adducor, ut credam, sive, duas coeli plagas eodem nomine ים dictas, sive MARE κατ' ἐξοχὴν in Palaestina Erythraeum esse, ad cujus ne ultimum quidem sinum Palaestinae termini aut Israelitarum ante subjugatam sub Davide Idumaeam pertinuerunt.

III) Nilum, quod aestivo tempore Aegypto maris in morem innatat, incolae Aegypti ab omni retro tempore mare vocarunt, vocantque. Frequentissima exempla invenies, geographos Arabum legens: quibus librum non onero, quod eorum quantum sufficit collegit Christianus Müller in *satura observationum philologicarum* p. 159. nec solum ipsum fluvium بحر النيل *mare Nili* dicunt, sed et canales adeo ex illo derivatos, ut بحر يوسف *canalem Josephi* (qui Fijumam rigat) بحر ابن منجا *canalem filii Menga* Bilbeidem perfluentem. (Abulfedae Aeg. n. 68.) Nec solum nomen بحر ita ponunt, sed et يَمّ (ipsissimam vocem Hebraicam) ut in Corano, Sur. XX, 39. ubi deus matri Mosis, اقذفيه في التابوت

 فاقذفيه

فاقذفيه في اليمّ *pone illum in cistam, et pone illum in mare,* XXVIII, 6. *si solicita fueris de illo* القيه في اليمّ *projice illum in mare.* Memorat jam Diodorus Siculus, l. I. c. 12. οἱ Αἰγύπτιοι νομίζουσιν Ὠκεανὸν εἶναι τὸν παρ᾽ αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον.

Eadem jam significatione aliquoties ים apud Hebraeos occurrit: sine dubio, ut mihi quidem videtur, Nahum. III, 8. ubi de Diospoli, (Thebis Aegyptiis, נא אמון) procul a mari in intima Aegypto, sed ad Nilum sita, dicitur, אשר חיל ים מים חומתה *ubi mare est fossa, et ex mari adsurgunt moenia ejus:* nempe urbs, Nili inundationibus, si usque ad aestatem toleretur obsidio, tuta et inexpugnabilis describitur. Quin quod in eodem versu praecesserat, הישבה ביארים *quae habitat in fluminibus*, aliter dispertiendum puto, unus enim ad Diospolin Nilus, nullos in alveos aut canales, qui pluraliter יארים dici possent, dispertitus. Ergo lege, ביאר ים, *quae habitat ad flumen maris*, i. e. *ad flumen, quod mare est.* Eodem retulerim Jes. XIX, 5. ubi calamitas describitur Aegypti, ונשתו מים מהים *deficient aquas ex mari:* Nilo quippe non satis exundante pereunt messes Aegypti, Sequens certe membrum idem dicit, fluvium siccum fore: Job. XLI, 23. crocodilus *mare* effervescenti simile reddit, (ים ישים כמרקחה) hic quis de Nilo non cogitet, crocodilorum patria? Alta certe non petunt. Sitne pluribus etiam locis haec notio aptanda, alii viderint, (equidem dubito) sed haec probandae, ut mihi quidem videtur, sufficiunt.

IV) Ex simillima vocabuli notione suspicor explicandum esse locum Jes. XXI, 1. ubi Babylon vastanda eique vicina regio, (si modo sana lectio, posses enim et מִדְבָּרִים *deserta*, adpellare) מִדְבַּר יָם *desertum maris* dicitur. Euphrates ubi Tigridi propior, cumque illo innumeris brachiis canalibusve conjunctus, humiliora Chaldaeae perlabitur,

tur, quotannis ripas excedens late terris superstagnat, ut omnia illum inter et Tigridem maris speciem referant, unde aeque ut Nilus, mare dici potuit. Has valles ab utroque fluvio in mare versas proxime attingit desertum Arabicum, quod multis in locis ne quarta quidem milliaris germanici parte ab Euphrate abest. Vide quae Büschingius in geographia de Euphrate scripsit, et *Ives Voyage from England to India*, cujus excerpta dedi in Tomo VIII. biblioth. Or. (veteris) p. 119.

Quod si de hoc loco dubites, certius exemplum habes Jerem. LI, 36. ubi de Babylone deus, והחרבתי את ימה *exsiccabo mare ejus:* hic quidem mare non potest non esse Euphrates, per quem subsidentem Babylon a Cyro capta, nisi forte cum Venema, mare, hominum multitudinem interpreteris.

V) יַמִּים, aut si malis יַמַּיִם *duo maria*, Dan. XI, 45. notione quodammodo propria et geographica ponitur, fixurusque Antiochus Epiphanes tentorium dicitur, *inter duo maria*. Haec autem quae duo maria sint, κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicta, non satis expedivisse videntur interpretes. Sciamus autem ante omnia, de expeditione Antiochi Epiphanis contra Armeniae regem, Artaxiam, quem vivum cepit anno Graecorum 147. prophetam loqui, seriem si temporis et antea dictorum sequaris. Vide de ea, quae ex Porphyrio, sed studio partium contradicens, excerpsit Hieronymus, et Appianum, sed nimis brevem, p. 117. ἐστράτευσε δὲ καὶ ἐπὶ Ἀρτάξίαν τὸν Ἀρμενίων βασιλέα, καὶ αὐτὸν ἑλὼν ἐτελεύτησε. Jam in hoc loco, in quo difficile erat historiae et geographiae perito verum non videre,

1) verisimilius omnibus aliis, et excusatius erravit, christianorum sacrorum, Danielisque, cujus vaticinia post rem gestam conficta vult esse, adversarius, Porphyrius: אפדנו nomen proprium esse volebat urbis in Mesopotamia, in qua teste Procopio, ut jam ante

 me

me monuit Relandus, est Ἄπαδναι, Φρούριον, *castellum Apadnae*, prope Amidam, quod refecit Justinianus. Jam ergo *duo maria*, Tigrim et Euphratem interpretabatur. Verba Hieronymi, quibus deperditi nobis libri sententiam refert, (qui utinam nobis servatus esset, periissetque ejus loco Hieronymi in Danielem commentarius, antichristo rebusque ejusmodi plenus): *Apedno inter duo latissima situm flumina, Tigrim, et Euphratem.* Veri ille, ut dixi, simili-ter: utrumque fluvium MARE ab Hebraeis vocari, vixdum docuimus; Amida, juxta quam Apadnae, ad ipsas Armeniae radices. Ergo et situi locorum quodammodo convenit. Sed obstat, primo, quod Euphrates et Tigris non juxta Amidam exundantes late agris innatant, maris in morem, sed multo inferius: deinde quod אפדנו vix pro nomine accipi proprio potest; vide enim ejus adpellativam significationem explicatam num. 135. pag. 110.

2) Plerique, *mare mediterraneum* atque *Erythraeum* intellexerunt, proximusque ab his Hieronymus, *mare mediterraneum et mortuum*, quae inter, Hieronymo si credis, *in monte oliveti castra olim habiturus sit Antichristus.* Quo quid dici veri poterat dissimilius? Danielem quis legens non videt Antiochum Epiphanem? recentiorum certe interpretum nullus doctior, verique studiosus nostro tempore de antichristo interpretatur. Succurrit Harenbergius (in, *Erklärung des Buchs Daniels*) de Antiocho Epiphane accipiens, quem plane, pro more suo audacter ac si scriptum legisset et tamen sine ullo teste, adserit, castra in monte oliveti habuisse, cum Hierosolymam oppugnaret, (quam quidem nunquam obsedit, sed repentino impetu cepit). Utrique explicationi et hoc obstat, quod montem oliveti descripturus nemo dixerit, *inter duo maria.*

Alii mare Erythraeum et mediterraneum intelligentes, de Antiocho Epiphane cogitant ex Aegypto redeunte, ibique forte castra, parum memoratu digna, habente, sed obstat series vaticiniorum, prae-

praecedens enim verſus ad expeditionem nos contra Orientem et ſeptentrionem deduxerat, noſterque in Antiochi deſinit interitu.

3) Jam evolve delineationem Armeniae, ſive adeo Aſiae, et quaere, quo tota Armenia devicta perventurus, ibique victor ſuperbum fixurus ſit tentorium? Duo ſe tibi maria ſtatim offerent, quae noſtri temporis nominibus indico, lacus *Van* et *Urmia*. Haec ergo intelligo. Imperitia geographiae harum regionem adcuſanda, quod nemini eorum in mentem venit. Plura ſi maria ob pluraliter poſitum יַמִּים ſi velis, habebis 1) lacum Van 2) lacum Urmiam 3) mare Caſpium 4) Pontum Euxinum, quae inter maria Armenia. Habemus quidem et Arabiae regionem, proprio nomine بحرين *duo maria* dictam, ſed de hac cave cogites: eſt enim ab Elymaide, in qua templum direpturus cladem accepit Antiochus Epiphanes, toto ſinu Perſico, et vero perquam lato ſejuncta. In Elymaide qui tentoria figit, non ea figit, INTER *duo maria*.

VI) Majus templi lavacrum יָם vel etiam ים הנחשת vocari ſolet, 1 Reg. VII, 23. ſeqq. *Mare*, vel, *mare aeneum*, vertunt, propter magnitudinem ita dictum putantes, praeivitque adeo Joſephus, Ant. VIII, 3, 5. ἐκλήθη δὲ τὸ χαλκούργημα, θάλασσα, διὰ τὸ μέγεθος, licet ipſe verecundior, ubi ſuis illud verbis deſcribit, λουτῆρα, *lavacrum* vocet. Mihi quidem haec hyperbole ſemper et ſuſpecta viſa eſt, et inepta: lavacrum X cubitorum diametro mare quis dixerit? Malim ergo plane, *lavacrum*, βαπτιστήριον vertere, non a nomine, ſed verbo ימם, quod Arabibus in quinta conjugatione, تيمّم eſt, *abluere ſe*. Forte eodem modo accipiendum in Baba Bathra, c. IV. §. 5. (Surenhuſ. Ed. T. IV. p. 175.) *ſi quis vendidit domum torcularis*, מכר את הים *vendidit etiam torcular*, licet Bartenora et Maymonides aliter interpretentur. Caeterum verbum تيمّم, *abluit ſe*, ἐβαπτίσθη, denominativum a ים *mari*, proprie, *mari merſit ſe*.

VII) Superſunt et phraſes cum ים compoſitae, nuſpiam, fateor, in codice Hebraico, qualem a maſorethis habemus, occurrentes, ſed tamen, niſi fallor, veteris Hebraismi, lucemque locis prava diviſione literarum obſcuris adfundentes. Prima harum, חָרַשׁ יָם *litus aravit.* Amos VI, 12. quaeritur, ut de re impoſſibili aut ſtulta, *currentne in petra equi*, אם יחרוש בבקרים, *aut num quis bobus arabit?* abſurde ſane, cum omnes gentes bobus arent, inque Palaeſtina, equorum inope diu, multa per ſecula non niſi bobus aratum eſſet. Quid tentarint interpretes, longum eſt dicere, nec forte his obrui volunt lectores. Licetne meam promere ſententiam? aliter dividamus literas, אם יחרוש בבקר ים, *aut num quis bove arabit mare?* Eſt hoc, inutilem plane laborem et ſtultum ſuſcipere, tale, ut apud Latinos, *litus arare.* Idem utrumque, *mare* enim *bobus arare* erit, eam litoris partem arare, quae mari mergi ſolet, ſive aeſtu, ſive vento, quod et proprie Latinis, *litus.* Ut verum fatear, ipſa prope deſperatione omnium, quae in verſionibus commentariisque hucusque legi, ad hanc redactus excluſusque ſum interpretationem, quam et in verſionem vernaculam recepi.

VIII) עבר ים *ebrius fuit.* Maxime dubia et intricata verba Proverb. XXVI, 10. וְשֹׂכֵר כְּסִיל וְשֹׂכֵר עֹבְרִים. Puncta maſorethica ſi ſequaris, is arguetur, *qui mercede conducit ſtultum*, (bene) *et qui mercede conducit tranſeuntes:* hoc quid eſt? quid ſententiae? quis non et tranſeuntes aliquando conducat, ubi res facienda? Hic quidem Syrus et Chaldaeus, in Proverbiorum libro ſaepe conſentientes, (qua de re vide Dathii diſſertationem) *et ebrius tranſit mare*, quod eſt, aliter diviſis vocibus, aliterque punctatis, וְשִׁכֹּר עֹבֵר יָם. Jam notemus phraſin Arabum de ebrio, قد عبر موسى البحر *tranſiit Moſes mare*, i. e. *ebrius eſt*, quam in Henr. Alb. Schultenſii ſpecimine Meidani num. 96. invenies. Similem proverbialem locutionem, ſolo

Moſis

Moſis nomine demto, veteres ſi jam Hebraei habuerunt, cum alluſione ad illam ſententia totius verſus erit: *litigioſus* (רַב) *omnes laedens, et ebrius* (וְשֹׁכֵר) *eſt ſtultus: atque ebrius tranſit mare*, i. e. maximis ſe temere periculis immergit. Hoc quidem, ſecedens a punctis, in verſione germanica ſequutus ſum.

992. ימם Geneſ. XXXVI, 24. *thermae.*

Ἁπαξ λεγόμενον, cui has quidem vocales maſorethae ſubdiderunt, הַיֵּמִם, *mulos* vertere ſolent, quorum primus inventor Ana fuerit, aſinos patris ſui in deſerto paſcens. Praeiverunt jam aliqui Hieronymi tempore, qui ad hunc locum, *plerique*, inquit, *putant, quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe primus fecerit aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur*, et Arabs uterque, *qui invenit*, vel, *compoſuit* البغال *mulos*, inque lexicon recepit Kimchius, (addito Thalmudicorum commento, reproba inveniſſe Anam, quod ipſe fuerit ex reprobro ortus concubitu Sibeonis fratris ſui cum matre) Reuchlinusque, quos deinde plerique ſequuti. Huic explicationi quid obſtet, in epimetro T. III. juris Moſaici (*Etwas von der Geſchichte der Pferdezucht in Palaeſtina*) pag. 272. 273. monui. Mulos nulla orientalium linguarum hoc nomine vocat, ac ne etymon quidem oſtendit, unde dici potuerint, eſt ergo verſio non philologica ſed conjecturalis: contra aliud mulis apud Hebraeos nomen, פרדים. Nec illo tempore illis in regionibus, ut copioſius ibi docui, equi; nec equos junctim et aſinos, ſed ſolos aſinos patris ſui paſcebat, unde ne caſu quidem muli in grege ejus gigni potuerunt. Denique non inventi ab homine, ſed caſu exſtitiſſe muli videntur.

Paulo melius illi, de quibus Hieronymus, *ſunt, qui arbitrentur, onagros ab hoc admiſſos eſſe ad aſinas, et ipſum iſtiusmodi reperiſſe concubitum, ut velociſſimi ex his aſini naſcerentur, qui vocantur JAMIM:*

ſed

ſed et hoc conjecturale, nulloque linguarum Orientalium uſu firmatum.

Multo veriſimilius, ſeu potius certum, quod Hieronymus uſu linguae Punicae, id vero eſt Hebraicae aut perquam ſororiae, confirmavit, verſionique Vulgatae intulit: *nonnulli putant aquas calidas juxta Punicae linguae viciniam quae Hebracae contermina eſt, hoc vocabulo ſignari.* Praeierat idem, niſi fallor, Syrus, ܕܐܫܟܚ ܠܗ ܡܝܐ, *qui invenit ſibi aquas*, firmatque, quae de Punica lingua habet Hieronymus, Arabica, cui verbum يَمَّ eſt, in *mare projici*, unde تَيَمَّمَ *abluere ſe*, ſive aqua, ſive etiam, quod ejus loco faciunt Arabes, *pulvere*, et يَمَّمَ *aegrotum lavacro utentem juvare.* Saepe et thermae et aliae aquae medicae, ab animalibus repertae, ſive comburentibus pedes et clamantibus, ſive potum refugientibus. Multae quidem illo in tractu thermae, ex quibus celeberrimae Callirrhoenſes ab ortu maris mortui, quarum aliquam deſcriptionem dedi in T. II. geographiae Hebr. exterae p. 63.

Caeterum eſt et de aliis nominis interpretationibus, et de ſcriptione atque adpellatione dicendum. *Jamim*, Hieronymus ſcribere, non *Jemim* ſolet: הימים cum Jod LXVII exhibent codices Kennicotiani, ad quam ſcriptionem referendum, quod habet Hieronymus: *alii putant Ajamim maria adpellata, iisdem enim literis ſcribuntur maria, quibus et nunc hic ſermo deſcriptus eſt: et volunt illum, dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationes reperiſſe, quae juxta idioma linguae Hebraicae maria nuncupentur: quod ſcilicet ſtagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis eſt.* Equidem vel הַיֵּמִם non ſtagna interpretarer, nec enim paſcentur in deſerto greges, cujus nulla hucusque aqua nota, nec ſtagnis egent greges, fontibus etiam contenti, ſed *aquas medicas, quibus aegroti merguntur*, ים pro βαπ-

τιςτη-

πιστηρίῳ accepto. Vide pag. 1087. Alii ut nomen proprium retinuerunt, five loci, five populi, citati ab Hieronymo, cujus ipfa verba adjicio: *Aquila hunc locum ita transtulit: ipfe eft Ana, qui invenit σὺν τοῖς Ἐμὶμ. Et Symmachus fimiliter, τοὺς Ἐμὶμ, quae interpretatio pluralem numerum fignificat. LXX vero et Theodotion aequaliter transtulerunt, dicentes, τὸν Ἰαμὶμ, quod indicat numerum fingularem.* Addendus his textus Samaritanus, אימים habens, nomen populi Deut. II, 10. memorati: non bona, ut mihi videtur, fententia, populumne enim in vicinia habitantem alii omnes ignorarint, donec eum Ana afinos pafcens inveniret? Et tamen ex recentioribus quibusdam, nec indoctis, placuit. Forte eodem modo aut legit, aut certe hunc populum, qui ut giganteus defcribitur, in animo habuit Onkelos, יַת גִּבָּרַיָּא *gigantas in deferto* vertens.

993. ימין *dextera, plaga auftralis, foedus.*

Prima fignificatio omnibus nota, fecunda paucis ac melioribus modo lexicis obfervata ex Pf. LXXXIX, 13. nempe quod Hebraei in geographia faciem ad Orientem converterent. Copiofius hoc de argumento egit pater meus in differtatione *de antica et poftica dextera et finiftra apud Hebraeos*, quam, ut plures alias, multis acceffionibus manufcriptis ditatam mihi reliquit; (utinam edendi fe offerret occafio!) Hic modo addo, ex hac notione explicandum videri Pf. CXXI, 5. *Jehova eft umbra tua* על יד ימינך *fuper manum dexteram tuam*, i. e. *ab Auftro, ne fol percutiat te interdiu, aut luna noctu:* ipfi enim dexterae proprie fic dictae umbra non opus. De Pf. CVII, 3. ubi fufpicor ומימין legendum, vide pag. 1083.

Difficilior phrafis Pf. LXXXI, 18. *fit manus tua* על איש ימינך *fuper viro dexterae tuae*, Davide. Sufpicor ibi ימין pro *foedere* poni vel *jurejurando*, ex ufu Arabum, quibus, ut ex Geuhari notat Golius,

 يمين

يـمـيـن est *idem quod* قـسـم *jusjurandum, ut, quo se ad aliquid obstringere solebant porrigentes dexteras,* et Huzaino poetae (chrestomathiae nostrae pag. 105.) مـوالي الـيـمـيـن sunt, *foederati.* Ipsa verba adscribo

مـوالـكـم مـوالي الاولادة مـنـهـم
ومـوالي الـيـمـيـن

foederati vel socii vestri, alii ex natalibus, foedere alii.

994. ימש *fricare, palpare.*

Jud. XVI, 26. in Cthib legitur, (in lexicis omissum, solius Keri המישני rationem habentibus,) והימשני a radice ימש. Habent Arabes ومس, *fricare,* quod quidem et in sensum obscenum abiit. In Hebraico, *palpare,* verteres aut *contrectare,* eadem proditura, quae ex הֲמִישֵׁנִי sententia: *palpare, contrectare, fricare,* cognata.

995. יָנָה *torpuit, enervavit, oppressit, perdidit.*

Verbum in *opprimendi, injuriaeque ac violentiae* significatione notissimum, quod Syris prorsus periit, habent Arabes sub ونى *torpuit,* unde vino nomen ductum esse, supra sub יין conjecimus. At quomodo hinc Hebraica verbi הוֹנָה in Hiphil notio, fluxerit, non satis liquet: conjecturae licentia si detur, conferenda quarta Arabum conjugatio, in qua اونى est, *debilitavit, defatigavit,* unde dicta oppressio, sed latius apud Hebraeos patente vi verbi.

In Kal (si a participio יונה, sed dubio aliis recedas) non nisi semel aut occurrit aut occurrere creditur, Ps. LXXIV, 8. נִינָם יַחַד, recentioribus vertere solitis, *opprimamus illos una,* veterum tamen nemine praeeunte, quorum plerisque נִין nomen visum fuit, *prosapiam,* denotans, hoc sensu: *dixit tota illorum gens una &c.* Sic LXX, ἡ συγγένεια αὐτῶν, quos non Vulgata solum et Arabs Pol. hic sequuntur, sed

ſed et Arabs Antiochenus, قالوا لنفوسهم ولاقربهم *dicunt inter ſe, et cognatis ſuis.* Eodem modo Chaldaeus, בניהון *filii eorum*, et in ſua verſione Hieronymus, *poſteri eorum.* Is quoque, qui puncta ſubjecit, pro nomine habuiſſe videtur, futurum enim, ex lege certe, per Tſere בִּינָם ſcribendum fuiſſet. Obſtat tamen nomini, quod poſt, *dixit totum eorum genus unanimiter*, non ſequi debuiſſet, quod in Hebraeo legimus, *combuſſerunt omnes ſynagogas dei*, ſed aliquod dictum hoſtium. Habent et hoc, fateor, LXX, ſed quibus ſolis, et vero in pſalmis, vix tuto fidas.

Solus verbum exprimit Syrus, ſed aliter vertit, ܢܘܒܕ ܐܢܘܢ ܐܟܚܕܐ *perdamus eos univerſos!* Idne ינה ſignificare poſſit? non negarim, duplici ſe ad hanc notionem via offerente. 1) ونى *torpuit, deſes fuit*, de eo ponitur, qui deſiſtit, ceſſat. Fac Kal tranſitive accipi, habebis, *ceſſare eos faciamus?* 2) lexica Arabum evolvens, videbis ونى non raro confundi cum انى ab eoque ſignificatum mutuari: evolve in Golio verbum utrumque. Jam أَنَى *tempus eſt*, unde et *fatale tempus*, (*ſumma dies et ineluctabile tempus*) dici potuerit, atque ab hoc *internecio.* Haec quidem, ſi nondum certa, melior tamen conſveta interpretatio. Alia ad eam via pervenerat Kimchius, in commentario in pſalmos explicans, נהרגם כמו חרב היונה, *occidemus eos, ut dicitur alibi*, חרב היונה (*gladius occidens*): obſcurum ex obſcuriore explicans. Retuli de Kimchio, quod eum et in lexico ſuo attigit, Coccejus, ſed ita, ut hunc ſolum legens, errare poſſis. Addo et, in lexico de hoc ipſo loco aliam Rabbi Jonae interpretationem dare Kimchium, cui idem ſit, quod הונאה, i. e. קחת־ממון אחרים *rapere opes alienas*, ac paulo poſt adferre antiquiores magiſtros Thalmudicos, ינה cum אנה *decipere, defraudare*, conferentes, ואמרו רז"ל כי יש אונאה בדברים. His quidem Kimchianis ac Rabbinicis

parum

parum tuta fides, id tamen vides, jam antiquitus Rabbinos ינה et אנה contulisse.

Hanc ad radicem referunt plerique

996. יוֹנָה *columba*,

quos quidem in ordine literam sequor, de re ipsa dubitans. Quod si est a ינה nolim ab oppressione ac vi quam patitur, dictam columbam, sed potius a *mansuetudine*, a ونى enim, torpuit, etiam in meliorem partem sumta notione Arabes faciunt, ونَاة, *mansueta*, quin et أنى, quod cum ونى saepe confundi supra diximus, in quinta et decima conjugatione de *lenitate* et *modestia* usurpatur. Sed vereor, ut recte ad hanc radicem referatur, ante autem, quam caussas expedire possim, de reliquis linguis Orientalibus dicendum.

Lexicon Castelli Heptaglotton evolventi, solus videbitur Chaldaismus Rabbinicus nomen cum Hebraica lingua commune habere. Arabum certe lingua ignorat. At mirum, in hoc atque Schaafii lexico, diligentissimorum ac doctissimorum virorum, omissum Syriacum ܝܘܢܐ *columba*, quod, nec in vetere modo versione, sed et in Philoxeniana legitur Matth. III, 16. X, 16. XXI, 12. Marc. I, 10. XI, 15. Luc. II, 24. III, 22. Joh. I, 32. II, 14. 16. Nec ita solum in Novi Foederis codice, sed et in veteris, ut invenies, loca evolvens, ubi de columbis sermo, ut Genes. VIII, 8. 9. 10. 11. 12. quin et videbis, Samaritanos quoque יונתא vertere, sed et hoc nomen in lexicis omissum. Ergo cum omnibus Aramaeae linguae dialectis יונה commune habuit lingua Hebraica. — — Jam vero cum Syri ܝܘܢܐ scribant, vix potest a radice ינה esse, sed aut erit ad ignotam יון referendum, aut in barbaris atque aliunde acceptis habendum, aut duce Bocharto derivatum a יון *Graecia*, ut יונה sit *Graeca avis*. Vide ejus hierozoicon

T.

T. II. libr. I. c. I. p. 3. 4. Nempe monet, ab omni retro tempore columbas, in Graecia memorari, a Dodonaeis inde, contra in Asiam dici invectitias, (non quidem palumbes aut turtures, quod genus ubique, sed columbas nostras domesticas). Non diffiteor, hoc mihi etymon Bochartianum, de quo ipsum consuli velim, magnopere videri verisimile: quod enim medio loco posui, barbarum esse posse vocabulum, ideo videtur abdicandum, quod ex nulla lingua barbara concinens columbarum nomen adfertur, ne ex Aegyptia quidem, quae multa alia Hebraeis verba dedit, quamque vel hanc ob caussam ante omnes interrogandam putabam, quod Aegyptus maxime columbarum altrix: Coptis columba Σϱομπι. Dictisne a Bocharto et hoc addi placuerit: columbas domesticas ita Asiae exoticas, ut licet Israelitis ex Aegypto venientibus sint notissimae et consuetae, inque sacrificiis a Mose memorentur, post reditum tamen ex Babylone illis caruerint, Rabbinis si fides, Judaei, donec Herodes M. eas iterum Palaestinae inveheret, unde factum, ut columbae domesticae Herodicae, הירדסי, dicerentur? Vide Buxtorfii lex. Thalm. p. 630. 631. ex quo solum excerpo lexici Baal Aruch dictum: המלך הורודוס הביא יונים מן המדבר וגדל אותם בישוב ונעשו תרבות ונקראו על שמו הורודוסיות *Herodes transtulit columbas ex deserto, et educavit in terra habitata, ut ibi genus multiplicarent, vocataeque sunt ab illo Herodianae.* Timide scribo, Rabbinis de rebus antiquis minor apud me fides, quam vulgo illis habere solent.

997. יוֹנָה *exitium*, vel, *exitialis.* Jerem. XXV, 38. XLVI, 16. L, 16. Sophon. III, 1.

Ea supponenti, quae lexicographi de hoc nomine interpretesque dare solent, liceat mihi nonnihil dijudicandis sententiis adspergere.

1) qui *opprimentem* gladium adjective vertunt, illis quidem obstat grammatica, Jerem. XLVI, 16. L, 16. ubi legimus, חרב היונה: adjectivum enim ubi He demonstrativum habet, substantivo eo carere non licet, dicendumque sive חרב יונה fuisset, sive החרב היונה. Idem et dubium grammaticum obstat,

2) quo minus ex etymo quod supra dixi, *gladium exitialem* vertere possis.

3) Ergo sic mihi dispertienda de hoc nomine quaestio videtur; ut in Sophonia quidem adjective accipi possit, העיר היונה *urbs exitialis*, i. e. prout tibi ad seriem orationis videbitur aptius, sive, *urbs aliis exitium adferens*, sive, *urbs interitura:* at in Jeremia ubique substantivum sit, XXV, 38. מפני חרון היונה *propter iram exitii*, quod quidem est, eadem manente sententia, *internecionem adferente*, et ex XII codicum lectione ibidem, inque textu XLVI, 16. L, 16. חרב היונה *gladius exitii*, i. e. internecionem adferens.

4) Dicendum et paulo distinctius de Judaeorum sententia *columbam*, imaginem imperii Assyriorum intelligentium. Antiquissima forte auctoritas LXX qui העיר היונה Sophon. III, 1. de Ninive positum, πόλις ἡ περιστερὰ vertunt, exque illis Vulgata, *civitas columba*. Quae hic theologica habet de Spiritu St. Theodoretus, excerptu non digna puto, integra tamen adscribo verba Hieronymi ex quibus intelligitur, cur Niniven columbam dici existimarint Judaei: *multi putant ob consequentiam sermonis, dici adversus Niniven, de qua supra, et perdet Assyrium, et ponet Niniven in solitudinem. Sed nunquam scriptura Niniven columbam vocaret, licet in Jeremia, a facie gladii columbae, de Nabochodonosar quidam dictum putant. Sed sciendum quod alii e contrario asserant, pro columba ibi posse intelligi* Ἑλλάδα, *i. e. Graeciam, ut sit sententia, a facie gladii Jona*, i. e. *a fa-*

a facie gladii Graeciae: Jona enim tam columbam quam Graeciam significat. Nempe volunt Judaei, Assyriorum et Babyloniorum vexilla *columbae* habuisse imaginem, quod Semiramidi, cum nata esset, columbae cibum attulerint. Vide eorum verba et sententias adferentem Buxtorfium, p. 960. lexici Chaldaico-Rabbinici, fabulamque de columbis Semiramidem alentibus, in Diodori Siculi libr. II, c. 4. qui ipsum adeo nomen, SEMIRAMIS, Syriace dicit columbam significare, nemine, ut puto, Syriacae linguae perito mediocriter, consensuro. Hic quidem ut taceam, Judaeis in rebus historicis tantae antiquitatis nullam fidem, ipsamque Semiramidem, illam certe, quam in Palaestina natam columbae aluerunt, fabulosam esse, nec quidquam veros ac bonos historicos de columba signo Assyriorum militari habere, duo maxime obstant: primo quod Nabochodonosar, de cujus gladio in Jeremia sermo, neutiquam Assyriorum rex fuit, sed Chaldaeorum et Babylonis, utroque regno diversissimo, (sed solent confundere): deinde quod Jerem. L, 16. חרב היונה ne Babyloniis quidem, sed eorum hostibus, Persis Cyroque tribuitur. Ergo haec commenta plane abdicemus. Reliqua, quae ad Sophoniam Hieronymus de Hierosolyma columba habet, ne digna quidem descripta.

998. יכח.

Commentitium verbum, quod in lexica, grammaticas et commentarios irrepsit, in Kal non occurrere dictum, sed in Hiphil, הֹכִּיח. Multas illud ob caussas repudiandum, primo quidem, quod radix יכח nullibi in Hebraicis bibliis, inque reliquis linguis Orientalibus nullibi ea, quam ei tribuere solent, notione, comparet, deinde quod nunquam היכיח cum Jod ea, quae adferuntur exempla, scribuntur, denique, quod Jod primae radicalis perire quidem et per Dagesch compen-

pensari solet, sed non, nisi in verbis mediae radicalis sibilantis, quorum ex numero non est ינח. Plura in grammatica Hebraica, si eam perficere detur, dicam. הֲנִיחַ quaere sub נוח, ubi expedietur.

999. יסד, מוסדה Jes. XXX, 32. Habac. I, 12.

יסד *fundare*, notissimum, cum Arabico وسد *posuit*, e. g. supposuit capiti cervical, comparandum, Syriaca enim lingua hic hiat, radicem ignorans. In uno laborari loco Jes. XXX, 32. possit, מטה מוסדה ubi baculus dicitur, sive, si מטה contra usum sententiamque grammaticorum femininum facias, *baculus fundatus*, (participium Hophal) sive, ut volunt puncta מַטֵּה מוּסָדָה et analogia grammatica, *baculus fundationis*. Hic quidem, utcunque rationes grammaticas expedias, de his enim anquirendi jam non locus, non tam *fundandi* quam *ponendi* significatio Arabica sumenda, et vero ita, ut nos dicimus, *einem den Stock auf den Rücken legen*, Latini, *vulnera imponere*, ac Lucas, forte, ut suspicatur Wetstenius, ex Latinismo, πληγὰς ἐπιθέντες, c. X, 30.

Haec quidem, si lectionem receptam sequaris, sed illa mihi perquam dubia. Conjeceram מוסרה per Resch legendum, *baculus poenae*, videoque, jam diu ante me conjecisse Clericum, duos aut tres (tertius enim dubius) consentire codices Kennicottianos, idemque et praeferre Londinensium episcopum Lowthum. Non possum non fateri hanc mihi lectionem verisimiliorem videri, quam, si diligentius interrogentur, de ד et ר imperite plerumque consulti codices, plures forte confirmabunt. Dicendum tamen duxi, quo modo consveta lectio interpretanda: quamquam ex ironia alienarum linguarum.

De Habac. I, 12. וצור להוכיח יסדתו vide infra sub יסר scribenda: displicet omnino, *petram eum fundasti ad puniendum*, quod plerique habent, nec placet *aciem ad puniendum eum fundasti*, quamquam hoc minus aegre tulerim.

1000.

1000. סוד *concilium amicorum*, *vel senatorum* (Divan) נוסד *consiliari*.

נוסד in Niphal, Pſ. II, 2. XXXI, 14. permulti, *conſiliari* vertunt, et cum סוד, quod *arcanum*, *conſilium*, interpretantur, conferunt, ut nomen et verbum unius ſtirpis. Sic in pſalmo II. Syrus ܐܬܡܠܟܘ, Symmachusque, συσκέπτονται, quin et Arabica verſio in Polyglottis expreſſa, praeter morem LXX deſerens, تشاوروا *conſilium invicem ineunt*, credo, quod textum ſequeretur ſeptuagintaviralem ex Symmacho (*) interpolatum: Hieronymus in pſ. XXXI, *quum inirent conſilium* (**). Sic et ex Rabbinis Raſchi, פור קונשליונט (***) בלע״ז *pour conſeiller*, *gallice*: Abenezra, *a radice* סוד, *ut* יריב *eſt a radice* ריב *litigare; Jod in* יריב *eſt transpoſitum. Eſt forma defectiva*, *aut Vau eſt ex* יסוד. (Vides confuſius eum ſcribere, nec ſatis rem expedire). Kimchius ſimpliciter, נתיעצו כלם כאחד. Satis probabiliter hi omnes, ſed unde סוד *conſilium*, vel *arcanum dictum*, unde Jod verbo acceſſerit, non ſatis expediunt.

Aliis *congregandi*, *conveniendi* notio placuit, ut in Pſalmo ſecundo LXX συνήχθησαν, Chald. יתחברון, inque triceſimo primo illi ἐν τῷ συναχθῆναι, hic באתכנשיהון.

Mihi quidem videtur et notio ipſa, reliquis linguis Orientalibus ignota, et derivatio, ſic expedienda.

Ipſum

(*) Ex Symmacho inquam, non ex Syro, qui enim hunc ſequitur Arabs Antiochenus, alio verbo uſus eſt, ائتمروا *conſenſerunt*. At LXX perfecte ſequitur alia verſio Arabica manuſcripta bibliothecae Vaticanae, quam ex Vaticano codice deſcripſit Salomon Negri, ex hujus exemplo pater meus, اجتمعوا *congregati ſunt*.

(**) In pſ. II. *principes tractabunt pariter*: obſcurius, ſed et hic puto *tractare* eſſe, deliberare.

(***) Videtur קונשוינכר ſcribendum eſſe.

Ipſum סוד radicis eſt יסד, pro יְסוֹד a وسد ponere, ſupponere, capiti, corpori, idem cum وسادة cervical, lectulus, ſuper quo interdiu decumbitur quietis cauſſa, nec vero ſolum quietis ſed et confabulandi cauſſa. Nempe pro ſellis lectum habent Orientales omnes parietes camerae ambeuntem, in quo et amici conſidere confabulantes ſolent, et conſiliarii regum, Divan (ديوان) dictum, quod et in noſtras linguas receptum, ubi de conſilio imperatoris Turcici loquimur. Liceat ergo eo et in vertendo סוד uti, Divan, i. e. lectus, in quo ſive amici ſive ſenatores regni conſident. Praeiverunt quodammodo in Proverbiis LXX, c. III, 32. ואת ישרים סודו (ſed addita particula negativa) ἐν δὲ δικαίοις οὐ συνεδριάζει (ſc. παράνομος.) XI, 13. מגלה סוד ἀποκαλύπτει βουλὰς ἐν συνεδρίῳ. XV, 22. באין סוד (locus inſignis, ob alterius membri oppoſitionem רוב יעצים multitudo conſiliariorum) οἱ μὴ τιμοῦντες συνέδρια. Divan amicorum deſcriptum vide in Ruſſels natural hiſtory of Aleppo p. 4. et imagine aenea expreſſum tab. XV. XVI.

Ab hoc סוד, Divan, denominativum נוסד, utrumque eſſe poteſt, conſiliari, deliberare, et, in Divan congregari, convenire, ut nemo ex his, quos ſupra excerpſi, erroris arguendus videatur, ea, quae cuique loco aptior ſedet, notione praeferenda.

1001. יסך ſpuria radix.

Exod. XXX, 32. על בשר אדם לא ייסך vertere ſolent, ſuper carnem hominis non effundet illud (unguentum ſacrum) quiſquam, radicem facientes, יסך, reliquis Orientalium hac certe ſignificatione plane ignotam, (وشك enim, quod habent Arabes, eſt, feſtinare) et ſive cum יצק effudit, ſive סוך unxit conferentes. His tamen alliterationibus in ignotis obſcuriſque inveſtigandis fides parum tuta. Mihi

hi quidem lectio videtur laborare, verbumque ad radicem נסך *effundere*, referendum, cujus erit Hophal: sive

1) יסך cum XV legas codicibus Kennicottianis efferasque, יִסַּךְ. Sic Jod in ייסך additum forte ab aliis qui active יִסַּךְ efferri volebant, est enim mos codicum non paucorum medii aevi, Chirek parvo, maxime ante Dagesch forte, matrem lectionis Jod dare.

2) sive ut habent Samaritani, יוסך: sic Vau errore librariorum, ut saepe, in Jod mutatum.

1002. יִסְכָּה Genes. XI, 29. *Jisca*, Ἰεσχα.

Mihi quidem haec legenti, ויקח אברם ונחור להם נשים שם אשת אברם שרי ושם אשת נחור מלכה בת הרן אבי מלכה ואבי יסכה *duxerunt sibi Abram et Nachor uxores, nomen uxoris Abrami erat Sarai; et nomen uxoris Nachori Milcha, filia Harani, patris Milchae et patris Jischae*, Jischa semper diversa a Sara visa est, filia Nachori, Israelitis Mosaici temporis ex traditione et genealogiis nota, sed de qua, cui nupserit, Moses non refert. At multis jam olim Judaeorum aliter visum, Saram et Jischam eandem putantibus, quorum sententiam cum in promtu habere interpretes necesse sit, de hoc quoque nomine proprio dicendum existimavi, maxime cum nimis hic brevis sit Simonis p. 146. onomastici.

Est quidem illa pervetus opinio, Josepho jam visa indubia, qui Ant. I, 6, 5. Ἀῤῥάνης μεν καταλιπὼν Λῶτον, καὶ Σάῤῥαν καὶ Μαλχὰν θυγατέρας, ἐν χαλδαίοις ἀπέθανεν. In Thargum recepit Chaldaeus sequior, Jonathan Ben Uzziel, nomini Jischae addens, היא שרי. Similia habet in commentario Raschius, sed argumentum addens, (lubricum illud quidem) ex etymologia triplici,

1) על שם שסוכה ברוח הקדש, *inspirata*, *prophetis*, incertum, utrum a סכה *vidit*, שֶׁסּוֹכָה *quod vidit futura per spiritum*

 san-

ctum, an a סכך, שֶׁסּוֹכָה *quod tecta*, i. e. *inhabitata et agitata fuit spiritu sancto*, nam et סכך de inhabitatione spiritus sancti ponunt Chaldaei. Vide Thargum 1 Paral. II, 55.

2) alterum a סכה adspexit, שהכל סוכין ביפיה *quod omnes adspiciebant pulcritudinem ejus*, conferens Genes. XII, 15. *viderunt eam aulici Pharaonis, laudaruntque Pharaoni*

3) tertium a נסך *unxit*, ut *Uncta* idem sit, quod, שָׂרָה *Princeps*. Sic jam Hieronymus de nominibus Hebraicis (T. II. Benedictinae edit. p. 8.) *Jescha*, *unctio ejus* (יִסְּכָה scribendum) sed idem et aliud addens etymon, *tabernaculum*, a סוּכָּה, ad primum Raschii referendum.

His quidem etymologicis crepundiis in re historica bonus logicus vix utatur: suntque omnes hae derivationes incertae, quid enim si a ישך Arabice وشك nomen *Jischae* duxeris? – – Simonis quidem in Onomastico ipse quoque vult a tegendo dictam esse, addens, Lotum quoque, fratrem, inde nomen accepisse.

Videri hae possint minutiae, vix relatu dignae, sed vel errores pervulgatos in lexicis omissos, eorumque fontes et argumenta ignorare lectores forte nolint: hic vero insuper accedit, quod haec interpretatio nominis Judaica primo ad jus antemosaicum patriarcharum de connubiorum incestu, deinde etiam ad interpretationem legum de incestu Mosaicarum, ipsamque inde morum doctrinam translata. Vide quae hac de re scripsi in, *Abhandlung von den Gesetzen Mosis die die Heyrathen in die nahe Freundschaft untersagen* (Edit. II. 1768) §. 35.

Unum addo grammaticum observatum: puncta masorethica יִסְכָּה si sequaris, non ad radicem סכך nec נסך referri poterit, hinc enim derivatum nomen nullum in Caph habere Dagesch lene potuisset, sed sive ad סכה sive ad יסך. Poenitet minutiarum, ineptiarum quoque etymo-

etymologicarum, ſed omitti non potuerunt, niſi deſtituere, gravi forte etiam de cauſſa, conſulturos velim.

1003. יוֹסֵף vel יְהוֹסֵף, *Joſephus*

utroque enim modo ſcribitur, יוסף plerumque, forma regulari, יהוסף, ſervata in futuro Hiphil, ex quo ortum nomen, per Chaldaismum litera conjugationis characteriſtica, Pſ. LXXXI, 6. De ipſius quidem patriarchae Joſephi nomine hic non disputo, licet illud attingens, obiter moneam, a duplici verbo אסף et יסף ductum dici Geneſ. XXX, 23. 24. alluſione materna, pariens enim mater dicebat, *abſtulit Deus opprobrium meum*, (a radice אסף, Aleph in Vau mutato, ut aliquoties in futuris accidit) et, *addet mihi filium alterum*, a יסף. Nec opus dictu, a Joſepho tribum Joſephi dici, verum duplex notandus nominis uſus, pro tempore diverſus, a lexicographis uterque, alter et ab interpretibus neglectus. Joſephi tribus cum reliquis ſola excepta Judaica, potentior eſſet, primatumque aut adfectaret, aut exerceret, (vide jus Moſaicum §. 47.) accidit,

1) ut aliquando a reliquo Israele diſtingueretur, eique opponeretur, fere ut inſecutis temporibus, *Judam et Israelem* legimus. Sic quidem in quibusdam Aſaphi pſalmis, (quod illis peculiare) Pſ. LXXVII, 16. בני יעקב ויוסף LXXX, 2. *paſtor Israelis, – – ducens ut oves Joſephum.* LXXI, 5. *ſtatutum hoc Israeli eſt*, 6. עדות ביהוסף שמו *legem hanc poſuit in Joſepho.* Superſtes ex tempore Judicum uſus nominis, qui poſtea periit, niſi quod Obadias quoque, Jeremiae coaevus ſcriptus, v. 18. *domum Jacobi* et *domum Joſephi* conjungit, incertum, quo ſenſu.

2) ut pro decem tribuum regno ponatur, cujus rex fere ſemper ex tribu Ephraim, ac regia hac in tribu. Sic in minoribus prophetis jam אפרים jam יוסף poni ſolet, ut Amos V, 6. 16. VI, 6. ubi ma-

le in Josephi nomine aliqui luserunt interpretes, ipse Ephraemus Syrus, pauperem quemvis intelligens, indoctos enim sanctarum ecclesiae cathedrarum rabulas, misere saepe in hoc nomine quiritantes, compilare nolim.

1004. יסר *acuit*, *secuit*, *pupugit*.

Nota *castigandi*, *erudiendique* ac certa significatio, sed primam addamus, a qua haec orta, duobus adeo in sacro codice locis, nisi fallor, obviam. وشر est, *secuit*, ut, serra, *acuit*: ab acuendo dicta castigatio, educatio, eruditio. Ex hac prima significatione accipio Ps. XVI, 7. יסרוני כליותי quod male mihi verti videtur, *erudiunt*, *castigant*, *increpant me*, *renes mei*: quae quaeso phrasis? Ergo malim, *pungunt me renes mei*, id est, crucior: intensissimus dolor, ac pene intolerabilis. Simillimam phrasin habes, sed alio posito verbo, Ps. LXXIII, 21. כליותי אשתונן *renibus meis pungebar*. Germanice habemus nomen hujus doloris, *die Miltz sticht*, quamquam et in hac phrasi et in Hebraica aliquis error insit, nec enim ipsos renes doloris sedem esse volunt medici, sed videri: at hoc, *videri*, linguae usui explicando sufficit.

Habac. I, 12. pro וצור להוכיח יסדתו, quorum verborum nullam novi sanam sententiam, quis enim dixerit, sive, *rupem fundavit ad castigandum*, sive, *aciem fundavit ad castigandum*? quae dictionum monstra? LXX legerunt, יסרתו, vertentes, καὶ ἔπλασέ με τοῦ ἐλέγχειν παιδείαν αὐτοῦ (וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַרְתּוֹ) Male illi quidem in hac lectione interpretanda versati, verum his si punctis instruas, וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַרְתּוֹ, memorque sis, צור (quod infra vide,) et aciem esse, eximia prodibit, et ad seriem orationis aptissima sententia: *gladium ad poenam acuisti illum*.

1005.

1005. יַעְבֵּץ 1 Paral. IV, 9. 10.

Nomen proprium viri ex tribu Juda, cujus hanc rationem reddit historicus facer, matrem dixisse, כִּי יָלַדְתִּי בְּעֹצֶב *peperi cum dolore.* Ergo, inquias, יעצב vocandus fuisset, interrogabisque, sitne aliqua lectionis varietas? Sed quod mirum, in tanta corrigendi occasione, nulla versio antiqua, nullus codex יעצב habet, solo excepto Kennicotti 147 (Argentoratensi,) in versu 10, sed manifesto lapsu librarii, quod in versu praecedente יַעְבֵּץ, ut nostri omnes, scripserat.

Haec cum ita sint veram credo lectionem esse, versumque sequentem legens, ubi Jaebeso omnia evenisse prospera et optata narratur, suspicari incipio, mutatum nomen ex fatis esse, literasque transpositas, ut melioris fierit ominis, indicaretque omnia nomini contraria viro evenisse, non illum *contristatum a dolore* fuisse. Artificiosum id, nec nostris moribus aptum, sed ejusmodi allusiones et mutationes nominum amat magis quam nos ludere adsvetus Oriens. Sic *Benoni* in *Benjamin* mutavit Jacobus, Genes. XXXV, 18. quamquam id, fateor, nostris auribus minus displicet, quam literarum transpositio, Judaeis הפך dicta.

Caeterum in Jaebesi (Jabes vocat Vulgata, et ע per G expresso Ἰγαβὴς LXX) mentionem cum incidere necesse nobis fuerit, addamus et de ignoto nobis homine alia, ac primo quidem insigne commentum Judaicum. Chaldaeus paraphrastes, quippe neminem, modo fieri possit, ignoraturus, Othnielem illum facit, in historia celebrem, (vide Jos. XV, 17-19.) atque haec de illo mentitur: *Jaabes, qui est Othniel, honoratus, et qui doctior fratribus suis in lege erat. Hunc mater* יַעְבֵּץ *vocavit, quod cum dolore peperisset illum. Precatus autem est Jaabes ad deum dicendo: si benedixeris mihi in filiis, et auxeris fines meos discipulorum multitudine, fueritque manus tua mecum in ne-*

gotian-

gotiando, dederisque mihi collegas mei similes, ne pravitas congenita me ad iram commoveat, &c. Vide et eundem interpretem v. 13. et II, 55. atque ad hunc locum notas *Matthiae Friderici Beckii*, viri doctissimi.

Syrus, nescio qua ratione aut audacia, nomen viri plane mutavit, in ܥܝܢ̈ܝ *oculi mei*, exque eo Arabs, عُيَيْنِي, ac si pater eum, ex filiis suis dilectissimum, *oculos suos* vocarit.

Est et urbs aliqua aut regio יעבץ 1 Paral. II, 55. quam ab hoc conditam viro volunt. Urbem cur faciant, cum ibi de Nomadibus sermo, caussam nullam video: possit ergo potius regio intelligi, a Jaabesi posteris habitata, in qua et hi Nomades errarint. Urbem tamen fecit ipse Relandus, non cogitans de Nomadibus sermonem esse.

1006. יעד

In verbo toties obvio, sensu tam manifesto, aberrare a vero lexicographi non potuerunt, licet de prima notione, unde reliquae deducendae, dissideant, quarum litium arbiter esse vix ausim, primam verbi notionem nobis periisse, eas quae supersunt, omnes secundarias esse ratus. Arabibus quidem وعد est, *praedicere, minari, promittere, locum et tempus rei constituere*, (vide plura sub מועד) quae ipsae sunt usu Hebraeorum vulgatae notiones. Hinc *convocare, convenire*, fluxit, quod et Syri habent, quorum et hanc phrasin enoto, ܠܩܪܒܐ ܐܬܘܥܕܘ *bellum sibi indixerunt*, proprie, condixerunt et provocarunt ad bellum; vel *convocati sunt*, i. e. *convenerunt ad bellum*, qua postea utemur.

Pleraque expedita. Specialior verbi usus et determinatior in connubio cum ancilla, Exod. XXI, 8. 9. *condicere eam* sibi vel filio *concubinam*. Ipsis quidem Arabibus et de re Venerea, sed humilius atque in brutis ponitur, Camuso quippe teste وعد, *voce indicium libidinis fecit admissarius*. — Posset quidem Cthib versus octavi, לו, his si pun-

punctis efferatur אשר לו יְעָדָהּ conferri cum Arabico وغد *famulari*, vertique, *si displicet domino, cui famulatur:* sed sequenti versui, אם לבנו ייעדנה, id parum aptum, ideoque repudiandum.

Paulo dubitabilior locus Jerem. XLIX, 19. ubi יְעִידֵנִי ex punctis masorethicis ad nostram radicem referendum: aliter enim Syro visum, יְעִידֵנִי adpellanti, et, *quis testabitur*, vertenti, sed punctis masorethicis consonantium etiam lectio ex XL codicum יועידני, et VIII יועדני habentium auctoritate suffragatur, ut ea vix dimittenda videatur. Seriem orationis adscribo, ut intelligant lectores, cur usitatior verbi notio interpretibus ac legentibus Jeremiana non paucis displicuerit: *quis est sicut ego? et quis* יועידני *—? quis pastor qui contra me stare possit?* (Leoni ex Libano greges invadenti deum comparari sciant lectores). Hic quidem optimi, me arbitro, qui antiquissimi, LXX *καὶ τίς ἀντιστήσεταί μοι*, quis *resistet* mihi. Sic Job. IX, 19: *τίς κρίματι αὐτοῦ ἀντιστήσεται*, למשפט מי יועידני legentes, et forte Dan. X, 2. pro עמרים lecto מועדים, *ἀνθεστήκασιν*, Chaldaeusque, *quis occurret mihi.* Est haec Syriaca, de qua supra jam dixi, verbi ܐܬܘܥܕ notio, exemplumque jam pono, quod eo lexica carere video, ex Joannis Asiae episcopi historia, (Chrestomathiae Syr. p. 19.) *hac ex caussa magnae ortae inimicitiae*, ܘܡܢ ܥܠܬܐ ܕܒܒܐ ܢܦܩ̈ܝ ܗܘܝ ܐܬܘܥܕܘ *et ad bellum inter se convocati sunt*, i. e. *convenerunt*, *vel illud sibi indixerunt.* – – Venerat mihi aliquando in mentem, יעירני legi posse, verbo עיר *vindictae* notione sumto, conjecturaeque meae suffragatur codex Kenn. 366. (Parisiensis, ex insignioribus): sed ita loco aptus Syriacus verbi usus, ut alia lectione opus jam non existimem.

Alius locus paulo difficilior, Job. IX, 19. *viribus si res agatur, en potentem! et si jure vel judicio*, מי יועידני *quis . . . ?* Vertunt

 fere,

fere, *quis diem mihi dicet? citabit me in judicium.* Monuit Schultensius, scribendum fuisse, *quis diem illi dicet*, יוֹעִדֶנּוּ, quam quidem lectionem Heathus ex codice Huntingtoniano adfert, (sed silentibus bibliis Kennicottianis) habentque LXX et Syrus: quae si vera, interpretationem consvetam sine dubio praeferrem, hisque vocalibus subjectis, יוֹעִידֵנוּ interpretarer, *quis in judicium nos citabit.* Fateor tamen, de codice Huntingtoniano, Kennicotto silente, me dubitare, contra aliam eum VI codicum lectionem indicasse, filo orationis aptissimam, מִי יוֹדִיעֵנִי *quis indicabit mihi*, crimen sc. cujus reus agor. Vide ad rem c. X, 2.

Male alii ad עוּד *testari* retulerunt, forte יְעִידֵנִי legentes, aut utramque radicem confundi putantes, verteruntque, Vulg. similiterque Chaldaeus, *nemo audet pro me testimonium dicere.* Male! adcusati non est, testes innocentiae dare, sed adcusatoris, ad crimen probandum.

1007. עֵדָה *conventus.*

A definiendo loco vel tempore, convocando, dicitur עֵדָה *conventus*, plane ut apud Graecos Ἐκκλησία, medio, bono, atque etiam malo sensu, ut in עֲדַת קֹרַח, seditiosus *conventus Corachi*, Num. XXVI, 9. XXVII, 3. Videtur et de consessu judicum, senatu, poni Ps. LXXXII, 1. Prov. V, 14. בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה, ubi alter conventus, קָהָל, major totius populi, alter judicum senatusque esse videtur.

1008. עֵדוּת *praeceptum.*

Referunt fere ad עֵדוּת *testimonium*, ab עֵד *testis*, ut sit *obtestatio*: non obstrepo, licet aliud *obtestari*, valde hortari, aliud *praecipere*, paulo tamen verisimilius mihi visum, ad יעד referendum esse, quod ipsum a constituendo loco, aut tempore, vocandoque ad aliquid, sit et *praecipere*. Pluralis עדות aliquando his punctis instruitur עֵדוֹת,

ad

ad legem et consvetudinem grammaticam, aliquando et עֵדְוֹת cum Vau mobili, ut Ps. CXIX, 14. in quo masorethae imitati sunt Aramaea in U desinentia, in plurali Vau mobile habentia, ut, מַלְכוּ מַלְכוּת מַלְכוּתָא מַלְכְוָן. Vide grammat. Chald. p. 80. Syriacam p. 182. Melius illi quidem unam legem consveti Hebraismi sequuti essent, maxime cum in eodem psalmo saepe omnino sine Vau scriptum עֵדֹת occurrat.

1009. מועד.

Pleraeque significationes vocabuli plane exploratae omnibusque notae, sunt tamen et de quibus ambigi possit.

I) אהל מועד quod plerumque vertunt, *tabernaculum conventus.* Significatio ejus pendet ab Exod. XXV, 22. וְנוֹעַדְתִּי לְךָ שָׁם cujus duplicem offert linguarum Orientalium cognitio interpretationem:

1) وأعد in 3 est, *dicere, constituere, locum vel tempus*, unde et alias מוֹעֵד *statutum tempus*, مَوْعِد, *statutus locus* vel *tempus.* Sic Nehem. VI, 2. נִוָּעֲדָה *conveniamus in Capharim.* Ex hac significatione erit, *conveniar tibi*, *tecum collocuturus*, tibique *mandata et responsa daturus.*

Hanc quidem interpretationem praeiverunt, Syrus, servato etiam verbo, et harmonice, quod non parum hic momenti facit, ܐܶܙܕܰܡܰܢ *conveniar tibi*, seu, *locum tibi statuo quo conveniamus:* Arabs Polygl. أُحْضُرُكَ *praesens tibi ero:* Arabs Erp. أتي لك *veniam ad te:* Samaritanus אזרמן לך *stato tempore et loco adero tibi, paratus ero tibi:* et, paulo magis paraphrastice Onkelos, sed eodem sensu, אֱזַמֵּן מֵימְרִי לָךְ

2) وغد per Gain, *famulatus est.* Sic erit, *colar a te*, indeque *tabernaculum cultus.* Sed de hac significatione veterum nemi-

 nem

nem cogitasse video, miror que: possit enim et verbum verti, *ibi colar a te.*

Jam ad eos venio, qui minus probabiliter, aut obscurius verterunt:

3) Aquila, Symmachus, Theodotion, *συντάξομαι.* Hocne idem est, cum primo, *conveniar*, q. d. coordinabor tibi, ut *σύνταξις* Svida interprete, *δύο πραγμάτων ἕνωσις?* an, quod potius reor, *praecipiam tibi?* Sic quidem accepit vertitque Vulgata. Nec negari verbo יעד Ar. وعد *praecipiendi* significatio potest unde עדות praeceptum. Loco tamen Exodi, de quo hic unice anquirimus, plane inepta ob rationes grammaticas: יעד in Kal, Piel, Hiphil, possit esse, praecipere, neutiquam in Niphal.

4) LXX *γνωσθήσομαι.* Legeruntne inverso literarum ordine, ונודעתי? Id quidem mihi verisimile, cum nunquam אהל מועד *σκηνὴν γνώσεως*, sed *μαρτυρίου* reddant. Nec tamen ullus Kennicotto consultus codex lectionem habet. Ergo, donec aliquis testis exsistat praeter illos, abdicemus.

His ergo expensis אהל מועד omnino verterim, *tabernaculum conventus*, nec vero *conventus Israelitarum*, sed *ubi conveniri vult Deus, et responsa edere*, ubi cum ipso colloqui, eumque interrogare fas est, *Unterredungsgezelt* germanice verti.

Plane mecum facit, verbis modo diversus, Arabs uterque, Polyglottorum, خباء المحضرة et Erpenianus خباء المحضر, *tabernaculum praesentiae:* i. e. ubi praesentem habebis deum. Proxime absunt, Onkelos et Syrus, משכן זמנה, ܡܫܟܢ ܙܒܢܐ, quod puto non simpliciter tempus, sed praestitutum colloquio tempus significare. Nomen Hebraicum retinet Samaritanus.

Pessime contra LXX. *σκηνὴ μαρτυρίου*, exque illis Vulgata, *testimonii:* ut enim vitia taceam derivationis ab עד *testis*, quid est, *taberna-*

bernaculum testimonii? Haec verba legens, nec cassas voces sine sententia menti pro sententiis imprimere adsvetus, quid quaeso mente concipit?

Lutherus, *Stiftshütte*, incertum, utrum ab antiquato *Stift*, *foedus*, ut sit *tentorium foederis*, ita ut מועד foedus interpretatus sit, quem significatum alias non habet, an ut *Stiftskirche* pro templo cathedrali ponimus. Non probo, cum quod מועד id non significat, tum quod tabernaculum non primarium et tanquam cathedrale, sed unicum omnino fuit. Ingenio tamen linguae germanicae ita aptum nomen, ut in communem usum receptum sit. Aliae versiones ante Lutherum habebant, *Tabernakel des Gelübds*, tabernaculum votivum.

II) Alia quoque conventus sacri loca Ps. LXXIV, 8. מועדי אל dici videntur, festa enim interpretari vix licet ob praecedens verbum, *combusserunt* (שרפו). Et tamen audaciusculum est, illi jam tempori *synagogas* dare, de quibus nihil ante exsilium Babylonium legimus. Ipsi adeo veteres LXX, Theod. Vulg. et Syrus, de *festis* vocabulum acceperunt, aliud verbum, festis aptum, substituentes, LXX καταπαύσωμεν τὰς ἑορτὰς, exque illis Vulg. *quiescere faciamus*, (ac si legissent נשבית) Syrus ܢܒܕܐ *perdamus*: sed nulla in codicibus lectionis varietas. Non liquet! Synagogas, quales post exsilium fuerunt, haud ausim illi seculo tribuere, at potuerunt alia conventus sacri non loca solum sed et aedificia esse, ut, sacella in locis, ubi Deus olim adparuerat, aut et scholae prophetarum. Vide נוית. — — — Alia vocabuli ratio, si psalmum ad tempora Maccabaeica referas, quae synagogas habuerunt: est tamen ne sic quidem plane expedita. Vaticinium si sit, mirum, Asaphum, nominibus rerum uti, quae suo tempore nondum fuerunt: Maccabaeorum tempore factum psalmum nemo dixerit, memor in ipso Maccabaeorum libro psalmum 79 citari.

III) הר מועד Jes. XIV, 13. in quo se consessurum sperat rex Babylonius, neutiquam potest esse, ut plerique putarunt, *mons templi.* Hunc jam dudum non in potestatem solum redegerat, sed et templum everterat ac combusserat: quid ergo speret, se in eo sessurum, qui, multo plus jam fecerat? Obstat et orationis gradatio: praecesserat, *adscendam in coelum, et supra stellas dei firmabo solium meum*; jam quam non humile solum, sed praeceps lapsu, *et sedebo in monte Moria?* Accedit, quod sequitur, *in latere septentrionis*, (ירכתי צפון) cum templi montem ab Austro Hierosolymae fuisse constet: nisi forte *latera septentrionis*, monti templi opposita, ipsam interpreteris Hierosolymam, sed quam everterat et incenderat.

Mihi quidem post *stellas Dei,* ut majus quid et sublimius legenti *montem conventus*, *extrema septentrionis*, conventus intelligi videtur Deorum, qualem ethnici fingebant, in summo aliquo monte, caelum sustinente, nec vero Atlante aut Olympo, sed sub ipso polo Arctico, stellaque polari. Nempe solent, ut vel pueris notum, in praealtis montibus, maxime borealibus, Olympo Graeci, conventum aliquem et concilium deorum fingere, Aurora forte boreali in illis montibus visa fabulae occasionem dante, ut adnotarunt eruditiores. Ipsum adeo coelum montibus sustineri et oculis videbatur, et fingebant poetae: nempe cui ignotus

coelifer Atlas
Axem humero portans stellis ardentibus aptum,

ipse quoque superorum conventu nobilis? Sed haec quidem in Asia ipsa terrarum natura fictu fecerat verisimiliora. Babyloniis versus boream altissimi, magisque aliis coeliferi montes Armeniae, post quos, exspectatione casuum similium, altiores etiam, ut ad septentrionem magis vergeret terra, exspectabantur, Riphaei et nescio qui alii ad Hyperboreos

reos usque, licet natura rerum contrarium hic illis, quae credebantur, fecerit. Jam cum ad ſeptentrionem, in quo polaris ſtella ſemper ſublimis, erigi mundus pleriſque cis lineam mortalibus videretur, ita ſentientibus, ut cecinit Virgilius Georg. I, 240.

Mundus ut ad Scythiam Riphaeasque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyae devexus ad Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi,

ſub ipſo axe major aliquis et Atlante multo ſublimior exſpectabatur fingebaturque a Babyloniis mons coelifer, verum ac ſummum concilium Deorum, atque ſic et hunc ipſum Jeſaiae locum accepiſſe videntur LXX, *τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν*, et Syrus, ܒܛܘܪܐ ܪܡܐ ܕܒܣܘܦܝ ܓܪܒܝܐ. Sic et *ſub ipſo ſiderum* cardine montes Hyperboreos Mela habet libr. III. c. 5. aliis de Hyperboreis alia fingentibus, quae quidem nos tandem aliquando ex ephebis egreſſi fabuloſa eſſe novimus. Multa et alia huic ultimo ſeptentrioni fama adfinxerat, ut, referente, ſed non credente Tacito cap. 45. Germaniae, *ſonum emergentis ſolis audiri, formaſque Deorum, et radios capitis* (Auroram, credo, borealem) *adſpici.* In hoc ergo ſummo ſe ſub ſtella polari monte conſeſſurum, reliquaſque ex alto deſpecturum ſtellas, Babylonius ſomniabat. Neque hic ſolus locus in quo fabula occurrit, ſed et Dan. XI, 45. Armeniae montes הַר צְבָא קֹדֶשׁ *mons exercitus ſancti* vocari videntur. Vide me infra ſub צָבָא.

Aliquid hujus rei patrem jam meum vidiſſe, ex notatis ejus manu ſenili ſcriptis ad biblia, hereditate ad me transmiſſa, intellexi, juvenis enim cum ejus praelectionibus intereſſem, conſvetam ex ore ejus hauſeram explicationem. Sed hac refutata, ſic pergit: *optime igitur* ירכתי צפון *pro ultimo ſeptentrione hic vero pro editiſſimis terrarum faſti-*

fastigiis, quibus v. 15. ירכתי צפון opponuntur, venire videntur. Vide disputationem de notionibus superi et inferi §. X. XI. XII. Hinc LXX ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν.

IV) Jes. XIV, 31. plerique מועד *exercitum* intellexerunt, *non est remanens במועדיו in exercitibus ejus.* Est id quidem suspectum, cum quod singulariter maluisses במועדו *in exercitu ejus*, tum quod *conventum* simpliciter pro exercitu ponere insolens. Nec opem fert, ut videri possit, Syriaca phrasis, ܐܬܘܥܕܘ ܟܠܗܘܢ ܩܪܒܐ, quippe quae non de acie aut exercitu ponitur, sed de regibus, vertenda, *indixerunt sibi invicem bellum.* De lectione ergo dubitare possis. In Graeca quidem versione verba desiderantur, nec tamen ab ipso interprete omissa sed a librariis, Arabs enim sola interpretari graeca solitus, وليس يثبت في مراسمه *non est qui moratur in vestigiis ejus*, i. e. *alacres vestigia ejus omnes sequuntur.* Sic qui vertit, במצעדיו legit, eleganter sane et bona sententia, sed codicum Kennicottianorum nullus adstipulatur. Quid autem sola derivationis mutatione opis ferri possit, vide infra sub rad. מעד.

1010. תעודה Jes. VIII, 16. 20.

Estne his locis testificatio, ut Ruth. IV, 7? an transpositione literarum ad nostram radicem referendum, *promissio, praedictio?* Hoc quidem ad seriem orationis videtur aptius.

1011. יעה *totum absumere* Jes. XXVIII, 16.

Verbum ἅπαξ λεγόμενον, nemo quidem antiquorum, sed recentiores, interpretari solent, *purgare, everrere:* nullo linguarum Orientalium usu, sed quod יעים *palae* sunt, quas ab everrendo cinere dictas putant. Hoc vero quam conjecturale? maxime, cum grandinis, de qua loquitur Jesaias, non sit, everrere, sed, confringere. Multo

Multo quidem melius, hisque quae infra dicam, plane consentanee, Coccejus, *auferre* vertit, sed sola ductus felici conjectura, argumento philologico nullo confirmans.

Antiquos etiam interpretes vim verbi rari non satis cognitam habuisse, sed de eo conjecisse, ipse plerorumque dissensus arguit: Syrus, ܢܢܦܘܨ *excutiet*, Theodot. *ταράξει*, Vulg. *subvertet*.

Ab his tamen segregandus, qui certe aliquid habet verisimile, Chaldaeus, וידלק רוגזי *et ardebit ira mea:* Aethiopibus enim ועי (ipsum ex analogia linguarum Hebraicum יעה) cum derivatis suis, *ardoris*, *aestus*, *combustionis* habet notionem. Vide Ludolphi lexicon p. 439. Animadvertit hoc jam Castellus, quem vel in Hebraicis, omnibus reliquis lexicographis praeferre, eum legens, idemtidem cogor, de יעה scribens: *forte melius ex usu Aethiopico*, USSIT, COMBUSSIT, *grando. Non tantum q. grando ex se urendi vim habeat, sed tonitrui atque fulguri non raro immiscetur.* (Non recordabatur, haec scribens, Chaldaeum in significatione verbi secum consentire.) .. Forte ad hanc *fervoris* significationem etymologice referendum, quod Arabibus وعى est, *excitavit tumultum*, واعية *clamosa mulier*, et per Gain وَغَى *tumultus*, *bellum*, *praelium*.

Ut tamen verum fatear, *comburendi* vel *urendi* significatio non satis apta grandini, ubi non de herbis, quae frigore aduri dici possint, sed de muro et aedificiis sermo.

Rem potius sic instituerim. Arabibus وعى ex notissima significatione est, *colligere*, (idem quod Hebraeis אסף;) idque dein transfertur ad eum, qui *omnia aufert nihil relinquens*, in quarta conjugatione, *totam peregit truncationem*, *nulla relicta parte*. Quin et Habessinis ועי est, *totum absumere*. Ergo verterim (Coccejo suffragans) *auferet grando perfugium mendax*. Ab auferendo dictae יעים *palae*,

 sic-

ſicque aliquo divergio ad illud redierimus, quod, rei ſummam ſi ſpectes, lexica habent, ex quibus jam vel antiquiſſimum citare lubet, Kimchianum, יעבור ויסיר (*), *tranſire faciet*, *removebit*, additque, hinc יעים, palas, dictas, שהיו מסירים בהם הדשן *quibus removebant cinerem.*

Aliis inquirendum relinquo, ſitne Chaldaicum Syriacumque, יְעָא, ܝܥܳܐ, *exiit*, noſtro cognatum verbum, an, ut fere volunt, ex יצא ortum? Id quidem certum, ea omnia ſi non haberemus, quae ex Arabica et Aethiopica lingua adlata ſunt, poſſe et rem ſic inſtitui: יצא Chaldaeis Syrisque eſt יעא *exiit*, hoc et יעה Hebraicum ſignificat, ſed Jeſ. XXVIII, 16. tranſitive poſitum, *exire fecit*, *abſtulit*, hinc et *pala*, quae exire facit, aufert cinerem, dicta.

Licetne in ἅπαξ λεγομένῳ inter utramque ſententiam adhuc dubitare? Fortiter antea crediderant lexicographi, non falſa quidem meliores, ſed tamen ſine argumentis: mihi dubitandi facultatem concedant lectores, donec ipſi haec inter mea certis argumentis arbitrii jure utantur.

1012. יעז Jeſ. XXXIII, 19. *innuit*, *praedixit.*

Ἅπαξ λεγόμενον, עם נועז, nulla in codicibus varietate lectionis Jeſ. XXXIII, 19. obvium, plerique referunt ad עזז *fortis fuit*, ſive hujus verbi Niphal putantes, mali ſane grammatici, nulloque ſcriptionis exemplo, נָעֹז enim ſcribendum fuiſſet, ſive, ut in libro radicum Kimchius, ex adliteratione, יעז et עזז idem putantes, quae quidem neceſſitatis excuſationem haberet, niſi aliam plane radicem יעז, noſtro loco aptam, linguae offerrent Orientales, magnaque inſuper ſuſpicio alius lectionis eſſet.

Praei-

(*) Errorem editionis eſſe puto, pro, יעביר.

Praeiverunt quidem ex veteribus, Chaldaeus, תקיף, Symmachus, *λαὸν ἀναιδῆ*, exque hoc Vulgata, *impudentem* (proprie, durum vultu, עז פנים) Syrus, ܚܨܝܦܐ. De eodem עזז cogitasse videntur LXX, *μικρὸν καὶ μέγαν* vertentes, qui tamen quomodo *μικρὸν parvum*, ex נועז effecerint, difficile dictu, nisi forte, aut legerunt, aut ut saepe in Jesaia faciunt, conjecerunt עז לא עז *fortis, non fortis.*

His quidem audaciis grammaticis non opus, cum radicem יעז ipsam Arabes sub وعز habeant, eaque duplicem offerat explicationem:

1) plerumque est, *innuere, significare*, ut Act. XXIII, 30. in Erpeniana editione, فلمّ أوعز اليّ الغكر, pro Graecis, *μηνυθείσης δέ μοι ἐπιβουλῆς*, Syriacis (ex Syriaca enim haec versio Arabica facta) ܘܟܕ ܐܬܬܘܕܥ ܠܝ ܢܟܠܐ. Sic erit, *populus praedictus*, i. e. *ille ipse, de quo hucusque locutus sum.*

2) Explicant et Arabes, تقدّم *praecessit*, quod sequutus olim interpretabar, *populum hesternum*, i. e. *quem heri videras*, in versione germanica, *das Volk das vorhin da war*, apte quidem et concinne ad seriem orationis, sed abdico, quod lexicographi, per تقدّم vertentes, (nullo illi quidem addito exemplo) hoc modo velle videntur, *auctor rei illi fuit, exemplum praeivit*, non generatim, prior fuit, antea fuit.

Ex his ergo duobus, sana si lectio, prius praefero, nec tamen suspicionem mihi excutio, neutro opus esse, sed lectionem mutandam, עם לועז *populum barbarum non videbis.* Vide biblioth. Or. Adpend. T. XIV. p. 122. Ejusdem emendationis et in mentem venerat viro summo Lowtho, antequam de mea quidquam conjectura scire posset,

 aut

aut ego illius auctoritate moveri. Ipsa se emendatio non offert, sed obtrudit.

1013. יעט, fictitium verbum.

Jes. LXI, 10. יְעָטָנִי, ut vocalibus instruxerunt masorethae, ad radicem יעט retulerunt, huic eundem significatum, quem concinenti duabus literis עטה tribuentes, *amicivit*, idque jam inde a Kimchio in lexica receptum. Male quidem, ut mihi videtur, certe nec Syri ܥܛܦ nec Arabes وعط hac significatione habent, nec ulla lingua Orientalis. Alia puncta substerne יַעֲטֵנִי (*dedit mihi*) eritque ab eadem quam volunt radice עטה, suo infra loco quaerenda.

1014. יעל *ascendit*, *altus fuit*, *insurrexit*.

Ante omnia error notandus, non lexicorum ipsorum, sed tironum aut indoctorum, יעל significare, *profuit:* id quidem in Hiphil significat, neutiquam in Kal, nec est, ut Stockius putabat, (cujus lexicon in melioribus numero, nec ea velim, quae praecessit, adcusatione includi) ex prima aut generali notione, *utilis fuit:* nulla certe alia lingua Orientalis hac notione verbum habet.

Idem potius videtur fuisse, quod עלה paulo diverso usu. Arabibus quidem وعل est, *eminuit*, (*altus fuit*) in quinta تَوَعَّلَ *ascendit in montem*, *in ejus summo constitit*, (unde et יעלים *ibices* apud Hebraeos nomen habere, num. 1016. dicetur) inque decima أسْتَوْعَلي *confugit*, nempe quod ad alta montium confugere solitum. Hinc quidem הועיל in Hiphil Hebraeis, sed his, et Rabbinochaldaeis, solis est, *profuit*, proprie, *exaltavit*.

Ex prima tamen notione vel in Hiphil semel occurrere Hebraice videtur Job. XXX, 13. לְהַוָּתִי יֹעִילוּ, *profuerunt enim ad exitium meum*, quis concoquat? nec quisquam antiquorum ita vertere ausus est,

ſuo illi quisque ex conjectura modo. Mihi conjectura non opus videtur, ſed ea ſignificatione, quam ex Arabia compertam habemus: verte, *inſurgunt ad exitium meum.* Hoc niſi placeat, verbum aliis vocalibus animatum יַעִילוּ ad עול refer, quam radicem infra vide.

1015. בְּלִיַּעַל.

Ex his, quae de יעל diximus, conſequens eſt, ut verti non debeat, *non prodeſt*, *improficuus*, ex Kal nomen ortum, non ex Piel, ſed, *minime altus.* Ita quidem ponitur,

1) plerumque morali ſignificatione, de *abjecto ad omnia ſcelera et dedecora*, *niederträchtig* germanice dicimus, unde בני בליעל *abjectiſſimae indolis homines.*

2) Pſ. XVIII, 5. 2 Sam. XXII, 5. de *inferis*, נחלי בליעל, *flumina inferorum*, ut Styx, Cocytus, Graecorum. Quae verſio ne cui nimis videatur Latina aut Graeca, notemus, Graecos flumina inferorum ab Aegyptiis habere, ipſumque nomen, *Charon*, Aegyptium eſſe, ſic enim illis dicebatur portitor mortuorum, qui eos cimba ad ſepulcrum devehebat. Ipſe ille lacus, in cujus inſula mortuos ſepelire Aegyptii ſolebant, (Moeris) *lacus Charrun* (*) nomen retinet.

Multi בליעל legentes, de ipſo cogitarunt malo daemone, aliqua veriſimilitudine, quod in tabulis novi foederis hoc nomen ad eum translatum eſt. Sed diſtinguenda tempora. Ante exſilium Babylonium malos quidem genios fuiſſe, atque alicubi memorari, neutiquam negaverim, at non tam frequens eorum mentio. Hoc toto millennario, aut quod excedit, בליעל de *diabolo* interpretari, nullo omnino loco, in

(*) *Lac de Querron* Galli itineratores efferunt, ut *P. Lucas*, *Voyage fait dans la Grece*, *l'Aſie mineure*, *la Macedoine et l'Afrique T. II. cap. VI.*

in quo occurrit, cogente, ac ne ſvadente quidem, aut temerarii eſt, aut indocti, ſui temporis vocabulorum uſum ad ſummam antiquitatem transferentis. Raro de diabolo loquuntur antiqui, ut vel dubitatum ſit, memoreturne in codice Hebraico, exque eo probari poſſit; omnesne ergo malos, et vero, in hiſtoria ſcribenda, in legibus ferendis, *filios* vel *viros diaboli* vocarint? *Fluvii diaboli*, qui? quis illos unquam in ulla, aut Orientali, aut Graeca, aut Latina mythologia invenit? quis alicubi, niſi apud interpretes pſalmi XVIII, et ſacrarum cathedrarum oratores? Babylone autem poſtquam in patriam redierunt Judaei, multam inde daemonum doctrinam (plerumque ſuperſtitioſam) deportarunt, multaque daemonum nova nomina, quippe de quibus jam frequentius loqui ſolebant, antiquiorum vocabulorum translatione. Hinc et factum, ut *Belial* inciperet daemonis mali nomen eſſe, atque ex conſveta Judaeorum lingua hac ſignificatione in Graeca etiam novi foederis tranſiret.

Licueritne et hac occaſione de ſcriptione nominis graeca 2 Cor. VI, 15. agere? Nos quidem adſvevimus in editis Βελιαλ legere, ſed nullus ita codex hucusque conſultus, editoresque Vulgatam ſequuti ſunt, ex correctione ad Hebraica *Belial* habentem. LXX quidem nuſpiam ut nomen proprium retinent, ſed ſemper interpretantur: unus Jud. XIX, 22. Βελιαλ Theodotion habet, ſed ex eo de ſcriptione Pauli ſententia non ferenda: Hebraica Graece reddebat Theodotion, Paulus nomen ſcribebat, ut ſui temporis Judaei graece adpellare, aliquo literarum euphemismo, ſolebant. Codices quidem mſcr. hucusque collati, habent

1) plerique ac tantum non omnes, Βελίαρ, quae mihi quidem vera videtur ſcriptio. Graeci, nulla habentes verba in L. deſinentia, Belial in Beliar mutant. In ipſo Euſebiano-Hieronymiano onomaſtico

ſtico nomen ita ſcriptum, falſis adeo derivationibus additis, (T. II. operum Hieronymi p. 155) Βελίαρ, ἐκζητητὴς, et ſub Hieronymi nomine, *Beliar, coeca anguſtia, vel, filius praevaricationis:* – – et p. 195. Βελιαρ, ἀποστάτης, ἢ παραβάτης, ἢ ἐκζητητὴς, ἢ τυφλῶν φῶς, et ſub Hieronymi nomine, *Beliar, coeca anguſtia, ſive coecum lumen, vel filius praevaricationis, ſed rectius Belial ſcribitur.* En ſententiam Hieronymi, quam Vulgatae Latinae intulit! Non omnia horum etyma inveſtigo, id enim longum, videntur tamen, ex quibus ea Euſebius deſumſit partim cum בל ראה *non vidit,* contuliſſe. Vide et patres a Wetſtenio citatos. Svidas quoque in ſuo lexico Βελίαρ habet, locum Pauli citans. Sic et patres vocare diabolum ſolent. Vide Sviceri theſaurum. Eſt ergo ſine dubio praeferenda lectio.

2) Βελίαν pauciores habent,

3) Βελιαβ pauciſſimi, quod ortum videtur ex latina verſione, *Belial* et *Beliab* confuſis. Syrus poſterior, qui in margine graecis literis ſcriptum habet, cogitavitne de etymologia orientali, *ſine patre?* an modo deſcripſit, quae alio in codice reperit?

Verſiones, antiqua Syriaca, et Arabicae, nullarum ſunt partium, habet enim illa ܣܛܢܐ exque ea Arabs Erpen. شيطان, Arabs Pol. مارق vel potius, (ſic enim ſcribendum videtur), مازق *obtrectator.*

1016. יעלים יעלה *ibices.* 1 Sam. XXIV, 3. Pſ. CIV, 18. Prov. V, 19. Job. XXXIX, 1. (al. 4.)

Copioſius de hoc nomine Bochartus egit, T. I. hierozoici l. III. c. 23. p. 915–920. cui lubens adſentior, non rupicapram eſſe, ſed *ibicem, (capram cornibus nodoſis in dorſum reclinatis,* Linnaei) nobis *Steinbock.* Ignotum in boreali noſtra, aut tota forte Germanica animal,

mal, ſed quod Helvetia adhuc ſummis in Alpibus habet, licet vel ibi rarius ſit, et vel ab incolis, nominis errore, aliud pro eo diverſum ſubſtituatur.

Dedit ejus imaginem Scheuchzerus, in *Kupfer-Bibel* ad Deut. XIV, 5. tabula, 337. ſed ita comparatam, ut explicationem Bochartianam dubiam maxime facere poſſit, mihique et olim fecerit, antequam ab Hallero, qui ipſe, cum ſalinis Helveticis praeeſſet, ibicem domi habuit. Nempe Prov. V, 19. יַעֲלַת חֵן imago eſt venuſtae ac pulcrae feminae: jam inſpice Scheuchzeri tabulam, et refugies. At omnes ibicis delineationes quas ipſe quidem viderat, falſas eſſe, Hallerus monuit in *Göttingiſchen gelehrten Anzeigen* 1763. p. 886. *Ibex*, inquit, *hic* (in, *natuyrliken hiſtorie*) *male deſcriptus, ut in libris omnibus. Ipſe non ſine delectatione elegans et alacre animal vidi, ovi ſimilius, come et animoſum.* Plura interroganti, literis ad eum datis, reſpondit, *domi ſuae ibicem ſe habuiſſe, placere phraſin Orientalem pro eleganti femina nomen ejus ponentem, pacatum fuiſſe, ſed ita animoſum, ut vel ſociorum animalium contra alia defenſionem ſuſciperet, defuiſſe ſibi, qui delineare poſſet, caeterum in ipſa Helvetia animal rarius.* Ergo Scheuchzero hic non fidendum. Anno 1776 Goettingam venit Helvetus aliquis, ibicem, ut profitebatur, ſecum circumferens et monſtrans, cujus delineatio in Vandenhoekiana officina libraria prodiit, hoc titulo, *Abbildung des Steinbocks, welcher auf dem Glätſcherberg im Gründelwald im Canton Bern in der Schweitz im Jahr 1774 gefangen worden* (*). Suſpecta mihi cornua, ſed reſpondebat, arte a ruſticis diſtorta eſſe: ergo Helveto in re patria credidi, licet nec hac elegantis feminae imagine, phraſique Salomonis minus jam, quam Hallerus, delectarer: ſed credere deſii, paulo poſt *Wallbaumio* in ephemeridibus

(*) Svaſor ſim lectoribus, ut emtam huic pagina addant.

bus Hannoveranis (*Hannöverisches Magazin* 1779. num. 60. pag. 946 seqq.) publicum docente, non ibicem esse, sed caprum ferum Helveticum, alio nomine, hircum Alpinum. Erat et nimis villosus, ad caprinum sine dubio genus pertinens, cum Halleri ibex ovi similior esset, nec nisi hieme albente lana vestiretur. Caeterum hic pro ibice monstratus caper ferus delineationi Scheuchzeri simillimus, nisi quod hic capro cornua ibicis dedit, ex duobus animalibus, quae natura habet, tertio, ut videtur, composito.

Monstrabatur mihi ante complures annos a viro naturalis historiae peritissimo *Ridingeriana* ibicis feminae delineatio, quam fidam ajebat, in *des Prinzen Eugen Hof- Lust- und Gartengebäuden*, tabula ultima: nomen quidem non additum, sed facile ex cornibus ibex agnoscebatur. Multa tamen libri exempla, cum pluribus aliis, tum hac ultima carent tabula, ipsum adeo, quod bibliotheca nostra academica habet: unde eam, haec dum scribo, inspicere nequeo, unum memini formam ita esse elegantem, ut Salomon non male formosam feminam יעלת חן dicere potuerit, in solis oculis, delineatoris forte culpa, aliquid displicebat (*).

Ibicem

(*) Video, eandem ni fallor, ibicis delineationem a Wallbaumio citari, *Joh. Eliae Ridinger Entwurf einiger Thiere, Theil* 5. *num.* 71. sed nec hunc numerum exemplum libri, quod nostrae est bibliothecae academicae, habet. Ibicem quidem marem, probabiliter verum, habet, sub num. 39. ejus partis Ridingeriani operis, cui titulus praefixus, *contemplatio ferarum bestiarum carminibus domini Brockes illustrata*. Pergratum mihi fecerit, si quis indicaverit, qua in bibliotheca eam quam vidi, ac nunc quaero, Ridingerianam delineationem invenire possim, icones enim, si subjungi his lexicorum supplementis ignotarum plantarum et animalium lectores jubeant, eam dederim.

Ibicem feminam الأروية (*Alorvie*) dici, vult Bochartus. Animal ibici in multis ſimile ſub nomine *Fiſchtall* et *lerwee* deſcripſit *Shawius* p. 170 itinerarii, (verſionis germanicae 151.) ſed non delineavit, nec *lerwee* ut feminei modo ſexus ſed generalius poſuit.

Videbunt lectores, non pauca adhuc nobis deeſſe. Ipſum, יעלה eſſe ibicem, veriſimilibus argumentis, non certis, adſtruxit Bochartus. Delineatione fida adhuc caremus, Ridingerianae enim, ſi illa fida, ne Goettingae quidem compos fieri poſſum. Opis ſi quid in Europa ferri poteſt, ex Helvetia exſpectandum, modo rariſſimum animal inveſtigetur, nec cum aliis, cui Helveti idem nomen dederunt, confundatur.

1017. בת יענה *ſtruthio*, plur. יענים.

בת יענה legitur Levit. XI, 16. Deut. XIV, 15. Jeſ. XIII, 21. XXXIV, 13. XLIII, 20. Jerem. L, 39. Mich. I, 8. Job. XXX, 29. et ſemel pluraliter יענים Thren. IV, 3. in Keri. Copioſe de hoc nomine egit Bochartus Parte II Hierozoici libr. II. c. 14. in multis otium mihi faciens, dum et aliorum, Rabbinorum maxime et Fulleri errores, et enarravit et refutavit, et de vocabulis Arabicis, Chaldaicis, Syriacis, quibus antiqui interpretes uſi, veriſſimam, nec ſine argumentis, dixit ſententiam. Proximus et mihi in rei ſumma: equidem, praeeuntibus veteribus omnibus, ſtruthionem interpretor; ille, mirum, nimis vocis בת tenax, ſtruthionem feminam, ſed hoc deinceps.

Linguae hic quidem Orientales nos deſtituunt, nomen non habentes, ſola excepta Samaritana, cui illud, leviuscula immutatione, cum Hebraica commune; in pentateucho enim utrobique Samaritanus interpres ברת יענה habet: ſed hoc quid ſignificet, magis etiam adhuc Hebraico vocabulo obſcurum. Multum vero lucis toti quaeſtioni adfuderit, ſi quis aut Oxonii (Clariſſimum Fordium ut faciat, rogo) aut Romae, ubi ſervantur exempla verſionis Samaritano-Arabicae,

bicae, hanc evolvat, nosque doceat, illa quid habeat, in vernaculo enim suae linguae vocabulo Samaritani errare vix potuerunt.

Magno tamen veterum interpretum consensu prope certum, *struthiones* esse, maxime cum illi ubivis filo orationis egregie conveniant, nec quidquam illis, ut infra videbimus, obstet. De duobus maxime Pentateuchi locis dicam, ne multitudine lectores obruam, aut molestus illis et sumtuosus fiam: in illis ergo habent,

1) LXX στρουθὸν, *struthionem*, quo de nomine copiosius agens Bochartus, ostendensque, non passerem esse, ut aliqui obvertebant, sed struthio-camelum, *otium mihi fecit.* Passeres quidem neutiquam immundi, nec edules solum, sed et ex communi Judaeorum opinione sacrificiis adhibiti, quod vel tabulae Novi Testamenti firmant: in cibis enim Judaeorum nisi fuissent, ut vel nunc Gallorum, (nos enim Germani eos, agrorum forte nostrorum damno, refugimus, licet non mali saporis sint, quod profiteri mihi liceat, cum ipse Gallici belli septennalis tempore gustaverim) non duo passeres assario venditi essent, sed ut apud nos gratis dati ac projecti a capiente. Matth. X, 29. Luc. XII, 6. (Eodem modo et in Jobo, ac Jes. XLIII, 20. verterunt, sed alibi aliter).

2) Vulgata, *struthiones.*

3) Arabes, Saadias نعام in Levitico, in Deuteronomio نعامة, Erpenianus utrobique, بنت نعامة *filiam struthionis.* Nomen ex lexicis indubium, de quo tamen et Bochartus egit, ut de cognatis sororiarum linguarum, quae jam sequentur. Vel in hunc usque diem *Naama* nomen struthionum. Vide Shaw pag. 449. itinerarii.

4) Tres Chaldaei, בת נעמיתא, quo ipso de vocabulo Bochartus p. 224. consulendus, Buxtorfium, qui ignorantia linguae Arabicae, fide Judaeorum, ululas verterat, corrigens.

5) Syrus ܢܥܡܐ, quo de nomine vix jam opus dictu, sed moneo tamen vel ex Ephraemi commentario, T. I. p. 276 certum esse, Ephraemum suae sane linguae peritum, struthionem intellexisse: morum enim doctrinas ex interdictu impurorum ciborum eliciens, tradit, *avem* ܢܥܡܐ *laminas ferreas colligere, et commiMuere in stomacho, ut fiant stercus*, quod de struthione narrari, quis non novit?

6. 7. 8) His quidem, in Pentateucho nobis non servati, Jes. XIII, 21. accedunt, Aquila, Symmachus, Theodotion, *στρουθιοκαμήλους* habentes.

In uno me a Bocharto dissentire dixi, quod notionem בת nimis premens, solas struthiones feminas intelligebat. Atqui in nominibus animalium, ut vel ex Arabum lexicis atque usu notum, أبو *pater*, أمّ *mater*, ابن *filius*, بِنْت *filia*, de utroque sexu promiscue saepe poni solent, ipseque adeo Bochartus et hic eos repudiaverat, qui nominis בת nimis rationem habentes, aut ova struthionum, aut solas struthiones juvenculas feminas intellexerant. Vide et sub תחמס dicta.

Male Fullerus struthionibus objecerat, incognitam Judaeis avem fuisse, Africanam quippe et Aethiopicam, nec ergo opus lege, quae ejus carnibus esuve interdicat, quod quidem dubium, vera si sumsit Fullerus, ad Jes. XIII, 31. XXXIV, 13. Jerem. L, 39. transferri possit, ubi Babylonem et Idumaeam in deserta a struthionibus habitanda redactum iri praedicitur. Huic quidem dubio ex veteribus, Arabiae desertis struthionem dantibus, satisfecit Bochartus pag. 228. Mihi veterum fide in his nonnunquam laborante, et recentiorum addere testimonia liceat. Shawius p. 449 itinerum (vers. germ. 386.) sub Arabiae Petraeae animalibus habet et describit. In Arabiae desertis struthio-

thiones memorat Niehbuhr p. 168. descriptionis Arabiae: Wanslebiusque, in mscr. Aegypti descriptione, quam bibliotheca nostra academica habet, p. 33. *struthiones* dicit *ex Arabia deserta Cahiram deduci* (*die Straussen werden aus Arabia deserta nach Cahira gebracht*). Nec clima obstat, Sahara enim Africae, struthionum quodammodo patria, a gradu latitudinis 35 incipit; australiore adhuc inter gradum 30 et 33 Palaestina.

De etymo forte quaeras. Ad ענה *respondere*, non pauci retulerunt, nempe quod struthio mas et femina se invicem adclamando invitant et quaerunt, quorum de voce egit Bochartus p. 228. Non obstrepo, quid tamen si potius sit, *filia miseriae*, quod in egenis, aqua etiam carentibus desertis degit. Venit etiam in mentem ad יען Arabice وعن referre, quod *terram sterilem et albicantem* denotat, ut struthio Arabibus أمّ البيض forte, *mater albicantis deserti:* sed nihil definio, Samaritano nomine ברת עניה Jod primae radicalis non habente.

Ea ob loca, in quibus flebilis ac moesta struthionum vox memoratur Mich. I, 8. Job. XXX, 29. consuli velim Shawium p. 454. 455. (vers. germ. 390) ubi variam eorum vocem, aliquando *lugubrem, ululantem, suspiria alte ducentem* copiosius describit.

1018. יָעַף *defatigatus fuit*, *festinavit*, *fame defecit.*

Non habent Aramaei, hac certe forma, sed soli sub وغف Arabes, quod quidem et *debilitatis* atque *hebetudinis*, et in quarta conjugatione *delassationis* notionem habet.

Defatigationis, quam lexica habere solent, dubio caret, sed forte et aliae addendae.

1) Arabibus وغف et est, *celeriter incessit cucurrit*, quod cum defatigatione conjunctissimum, festinatione enim incessus fatigamur. Sic quidem, si lectionem consvetam sequaris, יעף accipiendum,

 Jerem.

Jerem. LI, 64. *ob malum quod venire ſuper Babylonem faciam*, ויעפו *et feſtinabunt*, ſc. haec mala, quae praedixi. — Suſpicor tamen, ויעפו hic per compendium ſcriptionis poni pro his, quae ex v. 58. repeti volebat propheta, quod et in verſione germanica ſequutus ſum. Sic erit ex conſveta ſignificatione, *defatigabuntur* in caſſum populi. Erit tamen obſervatae ſignificationis aliquis in ſequente יְעָף usus.

2) 1 Sam. XIV, 28. 31. וַיָּעַף הָעָם mallem his vocalibus וַיִּעַף inſtructum, ad noſtram radicem referre, ut ſit, ſive *defatigatus eſt populus*, ſive, *famelicus eſt*, fame prope deficit, idem quod infra ſub עֵיף habebimus.

1019. יְעָף *feſtinatio*. Dan. IX, 21.

Gabriel angelus adventare dicitur מֻעָף בִּיעָף, quod non pauci reddunt, *advolans volatu*, ac ſi eſſet ab עוף, permutatis radicalibus. Nempe angelos volebant volare: pictorum noſtrorum ſomnia, male angelos fingentium, qui ea certe mole corporis, quam humanae aequalem faciunt, alis quas illis dant, ſuſtineri in aere volitantes non poſſent. Hebraeorum quidem angeli ſcandunt ſcalas, (Geneſ. XXVIII, 12.) alati ergo non ſunt. – – Malim ad feſtinationem referre, ac vertere, ſive, *defatigatus feſtinando*, ſive, *feſtinans feſtinatione*, i. e. ſumma adventans feſtinatione.

1020. תּוֹעָפוֹת, *labores*, *metallifodinae*, *celer curſus*.

Non niſi quater occurrit, Numer. XXIII, 22. XXIV, 8. Pſ. XCV, 4. Job. XXII, 25. Divergia et errores lexicographorum, doctiorum etiam, enarrare longum: unum mirari ſubit, duobus in locis, ubi ſe ultro ex etymologia ac filo orationis offert interpretatio, errari, diuque errari potuiſſe. De Pſ. XCV, 4. et Job. XXII, 25. loquor. Quis memor, יעף eſſe, *fatigari*, unde *labor* et *defatigatio* dici nominaliter poſſit.

possit, haec legens, תועפות הרים (Pf. XCV, 4.) non cogitet, de *laboribus montium*, i. e. *metallifodinis*, his ipsis, quas nos, Germani, metalli fodinarum totius Europae nunc ditissimi, *Berg-Arbeit*, vocare solemus? maxime cum filum nos orationis eodem deducat, praecesseritque, מחקרי ארץ, *scrutationes terrae*.

Difficilius est, de Num. XXIII, 22. XXIV, 8. כתעפות ראם לו dicere. Mihi quidem *celeritatis* notio illi loco aptissima videtur: *deus eduxit eum ex Aegypto, celeritas est illi ut gazellarum*, (vide infra ראם): nempe cursu celeres jam cervis et capreis comparantur, Pf. XVIII, 34. 2 Sam. I, 19. II, 18. 1 Paral. XII, 8. hic gazellis. Enoto tamen, quae veteres habent.

1) Δόξαν vertunt LXX, qua notione verbum omnino non habent linguae Orientales.

2) In *Fortitudinem*, תוקפא, ܚܣܝܢܐ, قوة consentiunt Vulg. Chald. Syrus, Arabs Erpenii, inque radicum libro Kimchius, et Rabbinorum plures: hanc vero notionem non ignorant modo linguae Orientales, sed et contrarium, *debilitatis*, habet Arabica.

3) Arabs Pol. كرأقي الريم, sed hoc ipsum obscurum: forte voluit, *ut altitudo*; est enim رقي *ascenditur*, quam notionem et recentiorum non pauci vocabulo dederunt, nullo linguarum Orientalium usu. Raschi quidem ad h. l. eandem significationem aliis praeferens, תעופה refert ad עוף *volare*, altitudine ab alto volatu dicta: quod vix probatum lectoribus iri putem.

1021. יעץ *monuit*, *consilium dedit*, *praedixit*.

Ante omnia sciendum, verbum Syros non habere, nec Samaritanos, sed solos ex Aramaeis Judaeochaldaeos: Arabes habere sub وعظ.

Quam medio loco posui significationem, *consilium dedit*, notissima, in omnia lexica recepta, usuque frequentissima: sed sunt aliqua sacri

facri codicis dicta, quae ex ea expediri nequeunt. Primum in his locum occupat, איעצך Num. XXIV, 14. ubi mirum non paucos interpretes de confilio Bileami c. XXXI, 16. memorato, (populum Israeliticum ad fcortationem cultumque Baali Feoris folicitandum) cogitare potuiffe, cum plane de eo non fermo fit, quid Moabitae Israelitis, fed quid Israelitae populo Balaci, i. e. Moabitis, aliquando poft aliquot fecula, (באחרית הימים) facturi fint, fequaturque illuftre de victoriis Davidis vaticinium. Vix poteft, nifi de *praedicendo* verbum hic accipi: *praedicam tibi, quid hic populus populo tuo poft multas aetates facturus fit.* Sic et, licet verbo latius patente ufus Arabs Polygl. أعرّفك *fcire te faciam.*

Eadem *praedicendi, vaticinandi,* fignificatione et occurrere videtur Jef. XLI, 28. de futuris enim, et praedictionibus fermo, non de confiliorum collatione.

At, inquias, quo modo haec notio cum confveta eademque indubia conjuncta? Expediet, credo, Arabia, cum وعظ eft, *monuit, pec. referens, quid futurum fit, ad praemium pertinens aut poenam:* (loca probantia collegit Caftellus) quin et fub prima rad. Jod habet, يعّظ *admonuit, de adventu hoftium fpeculator*, cujus inde clamor يعاظ dicitur. Haec ergo videtur aut feries effe, aut cognatio notionum,

1) *monuit.* Ex hac adeo prima fignificatione Hebraicum quoque verbum acceperim, Job. XXVI, 3. מה יעצת *quid monuifti, feu docuifti*, et Proverb. XIII, 10. נועצים, *moniti* i. e. *qui monita admittunt, monentes audiunt.*

2) Hinc *confilium dare*, fluxit

3) Idem verbum ad praedictionem futurorum translatum, ut Latinis, *monuit* Apollo idem eft ac, praedixit, de oraculis ufitatiffimum.

1022. עֵצָה *monitum, praeceptum, consilium, praedictio.*

De verbo quae diximus, eadem et ad nomen עצה transferenda, quod quidem praeter vulgatam *consilii* significationem et has habet:

1) *monitum, praeceptum.* Sic haud dubitans acceperim Ezr. X, 3. ubi expelli vult uxores peregrinas Ezra, בעצת ארני, non, *ex consilio*, sed potius, *ex monito et praecepto domini*, forte et 2 Paral. XXV, 16. *quia non audivisti admonitionem meam.* Lege praecedentia, videbisque admonitionis vocabulum aptius illis esse, quam, consilii.

2) *praedictio*, Jes. XLVI, 10. 11. V, 18.

Unum adhuc addo, *de consiliis dubiis, anxii animi*, poni Ps. XIII, 3. Vix opus putassem haec obvia monere, nisi Driessenius in specimine observationum p. 38. עצות ad radicem עצץ, غصّ revocasset, cujus pro etymologico more invenit notionem *stipantis pressionis*, quae hic sit summa anxietas, alias quoque, nimis dives, radices addens, quarum radicales ע et צ sunt. His artificiis etymologicis, aut adliterationibus, non opus.

1023. יער Jes. XXI, 13. *vepreta, aspera et inaccessa loca* Mich. III, 12. XXII, 8. בית יער

יער *silvam* esse, quis ignorat. Sunt tamen loca, quae ex hac significatione expedire difficile. Primus Jes. XXI, 13. Agmina mercatorum Dedanensium, per Arabiam euntia, in יער pernoctatura dicuntur, (metu, ut videtur, belli): convenirent quidem eorum securitati silvae altiores, earumque recessus, modo illas Arabia haberet. Verum his caret, ut recte, superioribus neglectum, monuit Vitringa: hac ergo exclusus significatione, silvam vult pro deserto poni, quod quidem mihi non adprobat. Solitum per Arabiam euntibus, noctem sub dio in desertis agere, hic vero ut novum et insolitum svadetur: nec ulla

linguarum Orientalium hac habet notione nomen, ad quam necessitate coactus devenerat Vitringa. — — Mihi quidem ex usu Arabum res expeditu facilis videtur, quibus وَعَرَ verbum, *difficilis est superatu, et salebrosus, mons, locus, via* &c. idque in pluribus conjugationibus, nomen, وَعْرٌ *difficilis, salebrosus locus*, وُعُورٌ *salebrae*, Syriacumque ܥܘܪܐ, *vepres, dumeta.* Sunt ergo mihi, salebrosa et inaccessa loca, quo hostis non penetrat, dumetorum labyrinthi. Hinc et explicandum puto Mich. III, 12. ubi mons templi cessurus dicitur, לבמות יער. Per quinquaginta annos ab exustione templi ad annum primum Cyri, silva quidem spinarum in monte templi luxuriari potuit, non arborum altiorum, quas vix, aliquo casu illuc delatis seminibus, post secula exspectes.

Alter locus Jes. XXII, 8. *circumspicies die isto*, obsessus Hierosolymae, אל נֶשֶׁק בית היער *arma domus silvae*, modo sana sit lectio, cum punctorum, tum literarum, de qua vide scripta p. 42. 43. adpendicis tomi XIV. bibliothecae Orientalis. Est tamen et consveta lectio, si fieri possit explicanda, nec nullis ei suppetiis latis deserenda.

Intelligunt fere *domum silvae Libani* in qua trecentos clipeos auro obductos Salomo suspenderat. 1 Reg. VII, 2. X, 17. Id mihi neutiquam verisimile: ut enim taceam, primarium nomen, לבנון abesse, ac paulo audacter subintelligi, domus silvae Libani inde a Jeroboami tempore non amplius regum Judaeae erat, sed ad regnum decem tribuum pertinebat, eo tempore, de quo loquitur Jesaias, ab Assyriis jam subactum. Hanc spectare, hinc arma petere, imminentibus ei Assyriis Hierosolyma non poterat: nec enim eorum unquam accedere sententiae potui, qui *domum silvae Libani* Hierosolymis fuisse, aque cedrorum in aedificationem absumtarum multitudine, incredibili figurae audacia, ita dictam, in ipso eam potius Libano, forte

te circa Baalbecam quaerens. Adde, trecentos clypeos inauratos, ostensionalia prope arma, vix in tanto tumultu aut spectari potuisse aut desiderari. De *armis domus silvae* si sermo, palatia intellexerim, in nemoribus animi et voluptatis caussa exstructa, (*Lustschloss*) memor, vel hunc usque in diem Arabes suis in castellis, aedibusque aut tentoriis elegantioribus, ornatus caussa arma suspendere omnis generis. Vide *Sebaldum Ravium de aedibus veterum Hebraeorum* (Trajecti ad Rhenum 1764), *Cotovici itinerarium* libr. IV. c. 16. p. 460. *Niebuhr descript. Arabiae p. 59.*

Haec explicandae dedi lectioni masorethicae, non quod vera existimem, sed quod verisimiliora. Equidem vocales mutandas puto in בשק, quod in bibliotheca Orientali professus sum: בית יער forte nomen proprium, sed vel ipsa lectio dubitabilis, aliis בית עיר habere visis. Verum ad has dubitationes hic descendere longum.

1024. יַעַר et יַעְרָה *μέλι ἄγριον*, *mel ex arboribus destillans*, *manna*, 1 Sam. XIV, 27. (25. 26.) Cantic. V, 1.

Mirum, in vocabulo, de quo naturae perito vix ullum dubium, errari ab omnibus, quos consului, nec ab indoctis solum et mediocriter doctis, sed ab ipso etiam Bocharto potuisse. De melle omnes fere cogitant, licet alius aliter, interpretantes.

His quidem, quae ut indubia lecturis praepono, locis, 1 Sam. XIV, 27. Cant. V, 1. recentiorum ac lexicographorum plerique, (omnes dicerem, sed non omnes evolvi) *mel* intellexerunt. In priore quidem loco 1 Sam. XIV, 27. veteres unanimes, LXX enim *κήριον τοῦ μέλιτος* habent, Vulgata, *favum mellis*, Arabs شَهْد eadem sententia, Syrus ܟܡܥܐ ?? ܟܒܪܝܬܐ, *orbem*, placentam i. e. favum *mellis*, Chaldaeus קְבָא דדבושתא (neglectum a Buxtorfio apud quem frustra quaero) *nidum* i. e. *favum mellis*, quibus addere liceat lexico-

 gra-

graphorum plerumque ducem ac fontem primum, Kimchium: *est placenta mellis, ex qua educunt mel.* Secus in altero Cantici loco, ubi LXX ἄρτον μου exque illis Arabs خبزي *panem meum*, Symmachus, ἐνεμήθην δρυμόν μου, *depascebam silvam meam*, verboque generaliori usus Syrus, ܚܠܝܘܬܝ *dulcedinem meam* vel *dulcia*; sola Vulgata, *favum cum melle meo* habente. Utrumque tamen locum legens vix dubitabit, quin mel sit, a *silva* dictum, id est *mel silvestre*, ab alio melle (דבש) Cant. V, 1. distinctum, idem quod Graecis, simillimo nomine, μέλι ἄγριον.

Haec cum ita sint, mirum, errari in re manifesta potuisse, et vero a magno adeo Bocharto, quem alii sequuti sunt: *sylvestre*, inquit, *mel, quod apes vel in nudo solo, vel in cavis arborum, vel in fissuris rupium confecerant.* Atqui μέλι ἄγριον graecis non *mel apiarium*, sed, *mel ex arboribus, ficu aliisque stillans, atque humi decidens*, re idem, quod, *manna*. Svidas sub ἀκρίς: *comedebat praecursor* (Joannes) *locustas*, καὶ μέλι ἄγριον, ὅπερ ἀπὸ τῶν δένδρων συναγόμενον, μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεται, *mel silvestre, quod ex arboribus collectum manna plerisque dicitur.* Insignem de eo ad Matth. III, 4. locum ex Cetuboth fol. III. 2. excerpsit Wetstenius, (alia quoque lectu digna colligens) *dixit R. Jacob Dosthai, a Lydda ad Ono sunt tria milliaria: aliquando ante diluculum profectus ambulavi ad talos usque in melle ficuum.* De ejusmodi melle, succo arborum, ex illis destillante, sermonem esse, ipsa res clamat, magno tractu, per quem Israelitae Philistaeos persequentes iter faciebant, eo obtecto: locus adeo ubi res gesta dicitur, inter Michmas et Ajalon, (v. 31.) in Lyddae vicinia, de cujus vicinia Rabbi Dosthai loquitur. Melle apiario certe non latifundia tecta, nec, si humi sua mellaria posuissent, inultum ferret, qui baculo illa suo turbaret.

Eſt et hic interpretationis facienda mentio, quae duobus ſe lexicographorum primariis, Coccejo, et Simoni probavit, *mel arundinis, ſaccharum.* Hauſta ex Raſchi commentario, ſed hic ſe eam debere profitetur Rabbino Nathan Ismaelitae. Hic quidem יערת דבש *ſilvam* interpretabatur *mellis*, eo nomine *arundinetum cannarum ſacchari* intelligens, quas in Palaeſtina naſci, dubio caret. Huic conjecturae quid addiderint Coccejus, et Simonis, aliique, apud ipſos legi velim. Eſt tamen utrique loco parum apta. Cannae ſacchari ſunt in Palaeſtina, fateor, ſed illo loco, ubi praelium cum Philiſtaeis commiſſum, nulla nec cannarum ſacchari, nec alia arundineta, nedum tanta, ut in ea victor intrare populus, victos perſequens, potuiſſet: deinde, quod unum ſufficit, per ſacchari cannas iter faciens, quis poſſit baculum in illas intingere, exque illis mel extractum ori ſuo admovere? Deleatur ergo haec, ſvadeo, ex lexicis, tralatitia, ingenioſa viſa repetentibus, ſed rei geſtae parum apta conjectura.

Caeterum quaeri poſſit, ſitne et in verſibus praecedentibus, 1 Sam. XIV, 26. 27. יער *μέλι ἄγριον* exponendum. Vide LXX. Sed longior quaeſtio, quam ut hic locus capiat, ſunt enim aliqua in Hebraicis dumeta. *Tota terra venit in ſilvam*, inuſitata conſtructio.

1025. יער *pecus*, *hoedus*, *agnus* Mich. VII, 14.

Ad aliam omnino radicem Arabicam, ſignificatione a praecedentibus diverſam, (يعر) pertinere arbitror Mich. VII, 14. יער בכרמל, crucem interpretum: quid enim eſt, *populus habitans ſeorſim*, *ſilvam in Carmelo?* aut ſi malis, *dumetum in Carmelo? ſilvam in agro culto? in horto?* Labores et conjecturas parum veriſimiles excerpere non vacat, mihi quidem nulla ſatisfecit. Solus aliquid loco aptum habere viſus eſt Syrus, ܥܢܐ *oves* vertens: egregie ſane Israelitae ab exſilio reduces dicerentur, *ovis in Carmelo*, nec vero Carmelo promontorio,

ſed Carmelo tribus Judae Joſ. XV, 55. paſcuis celebri, 1 Sam. XXV, 2. maxime cum ſequatur, *paſcentur in Baſanitide et Gileaditide, ut olim.* Unum quaeri poſſe video, quo jure ita verterit Syrus? ſolana conjectura? an duce aliquo uſu linguarum? Hunc quidem nobis, ſed contra ſuum morem ſub ي primae radicalis offert Arabia, يعر habens, quamquam, fateor, ex ſolis mihi lexicis notum, nec quantum memini a me in ſcriptis Arabum lectum: يَعْرٌ et يَعْرَةٌ explicant, *hoedum* unde et vocem caprarum يُعَارٌ dicunt, *clamoſamque capram,* aut, *multum balantem ovem,* يَعُورٌ itemque verbum, يَعَرَ *mutivit capra*, Gr. μηκᾶσθαι. Ex his, quae enotavi, ad utrumque genus, et caprarum et ovium pertinere videtur, quod communi *pecudis* nomine Latini complectuntur, Hebraei ſub שׂה. Suſpicor, onomatopoeticum nomen eſſe, a ſono naturali caprarum petitum, quem nos non diſſimili verbo, *mekern*, exprimimus, ſed haec dubia et periculoſa etymi attigiſſe ſufficiat.

1026. יפח Jerem. IV, 31.

Ἅπαξ λεγόμενον in Hithpael, hac orationis ſerie, *audio — — vocem filiae Sionis, quae* תתיפח. Recentiores, jam cum פוח conferentes, jam cum נפח, vertunt, ſive, *quae anhelat*, ſive, *quae vociferatur.* Mera adliteratio, nec ullus ita veterum, qui quidem duas in partes diviſi, Chaldaeo plane verbum ignotum omittente,

1) LXX. ἐκλυθήσεται, *quae deficit*, et paulo clarius diſtinctiusque Vulgata, *filiae Sionis intermorientis*

2) Syrus, ܕܡܬܕܠܚܐ, *quae perturbatur.*

Ex his prius aliquo poſſit linguarum ſororiarum firmari ſuffragio, ſed paulisper immutatum. Pleraeque יפח ignorant, habent tamen Arabes يفخ, ſed ex أفخ ortum, *in medio capite laeſit,* quae vulnera maxi-

maxime mortifera, possis ergo vertere, *vocem filiae Sionis quae mortifero vulnere procumbit*, quod proxime ad Vulgatam, (ubique fere, sed maxime in Jeremia egregiam) accedit.

יִפַּח nomen, quaere sub פוח.

מוֹפֵּת quaere sub אפת p. 117.

1027. יצ.

Multae radices ab his literis incipientes, nescio qua de caussa, Hebraeis quodammodo privae sunt, reliquisque dialectis Orientalibus, jam omnibus, jam Arabicae, perierunt, ea certe, quae Hebraeis usitatissima est, significatione, perierunt. Aliquae ipsis Hebraeis in Kal plane in desvetudinem abierunt.

1028. יצא *egressus est*, יצא פתח Job. XXXI, 34.

יצא *egressus est*, verbum Hebraeis perquam frequens, Arabes hac significatione, Syrique omnino non habent.

Sola in codice sacro phrasis difficilior, יצא פתח *prodire foras*, Job. XXXI, 34. hac quidem orationis serie: *clandestinis delictis si me obstrinxissem, sistendus aliquando sum congregationi magnae* (in die pantocritico) *in quo contemtus omnium me pudefaceret, silerem, nec exiturus essem foras.* Hoc quid est, *exire foras*, in die judicii? Ad literam vertunt Vulg. et Chald. aeque Hebraicis obscure, (*et non magis tacui, nec egressus sum ad ostium*, לא אפוק מעלנא), ita pervertunt LXX et Syr. ut referre pigeat. Nihil expedit, ac ne quaerit quidem satis, de aliis solicitus, quem ante omnes unum consulendum dixeris, Schultensius.

Haec quidem mihi Hebraica legenti in mentem venit Syriacae phrasis, ܢܦܩ ܪܘܚܐ *exire in ventum*, seu, *in liberum*, *in liberam auram*, pro, ἀπολογίζεσθαι *caussam defendere.* Exempla non colli-

colligo, in quovis vel mediocri lexico, in Schafiano etiam copiose, *obvia*. Defensio caussae inde dicta, quod coarctatus jam libere egreditur. Ergone verterim: *silerem, nec caussam defendere possem?* nec verterim modo, sed et verti germanice, *ich würde verstummen und mich nicht verantworten können.*

1029. מוציא num, *victor*, *eversor*, ex alia lectione Dan. XI, 30.

Locus quem citavi, Dan. XI, 30. sententiam si spectes, clarus, nec quisquam, Judaeus, Christianus, contemtor Danielis, librumque imposturae arguens, in dubium vocaverit, de expeditione Antiochi Epiphanis loqui, sive vatem, sive impostorem, Aegyptum devicturi, nisi intercessisset Romanorum legatus, *Cajus Popillius*, hac eum superba voce deterrens, *jubet te Senatus Populusque Romanus excedere omni Aegypto.* Haec quidem, ut reor, lecto toto propheta, certa et indubia, ipseque Porphyrius, nostrorum bibliorum ac maxime Danielis adversarius, non negat, confictum hoc post rem actam vaticinium existimans. Ergo sive propheta sit Daniel, sive impostor ejus nomine confinxerit vaticinia, constat de re gesta, quae hic praedicitur.

Jam vero cum legamus, ובאו בו ציים כתים hoc quidem ab interpretibus historiae ita adcommodari solet, ut vertant, *venient contra illum naves Romanae*, idque et, ut praeierant alii, olim sequutus sum. Verum multa sunt, quae huic versioni obstant.

1) כתים non Romanorum nomen, non Latii, sed, ut ex 1 Macc. I, 1. indubium, *Macedoniae* ac *Macedonum.*

2) ציים nullo orientalium linguarum suffragio *naves* vertitur.

3) Haec quis legens, *venient contra illum naves* (pluraliter adeo) *Romanae*, non de classe cogitet. Nec tamen classis Romanorum appulit, sed legatus Cajus Popillius veniens, bello interdixit. Suspica-

ſpicabar ergo, צירים, *legati*, ſcripſiſſe Danielem, ſed hujus lectionis nullum, nec in antiquis verſionibus, nec in codicibus Hebraicis reperi veſtigium.

4) Non nego legatum Romanum navigio Aegyptum adiiſſe: ſed quid hoc ad rem? quid opus dictu? Quid ſi curru aut equo vectus legatus veniat, dixerisne, *venient currus Romani*, vel, *equi Romani?* Naves certe filo orationis plane ineptae.

Varias circumſpicienti lectiones, et maxime ציים eliminari cupienti, hae mihi ſe obtulerunt

1) LXX *καὶ ἥξουσι Ῥωμαῖοι καὶ ἐξώσουσιν αὐτὸν*, Hebraice, ובאו מוציאים כתים

2) Theodotionis, *καὶ εἰσελεύσονται ἐν αὐτῷ οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι*, ובאו בו יוצאים כתים

3) Syri, ܡܫܪܝܬܐ ܕܟܬܝܐ *exercitus Chittiorum*: exercitum ex ציים efficere nequeas, ſed forte ex יוצאים *egredientes*, vel מוצאים *educti*.

Tentabam, poſſetne altera harum lectionum rei, ut geſta eſt, aptari, ita tamen, ut כתים Macedonum nomen maneret, non fieret Romanorum. Hiſtoria me docebat, legatos Romanorum, Antiocho ut tota decederet Aegypto denuntiantes, diu antea, forte conſilio moratos, ſtatim poſtquam debellatum in Macedonia eſſet, navigaſſe. Vide Livium, de legatione decreta, et Delum navigante, ubi diu moras nexuit, libr. XLIV, c. 19. 29. et de enavigante inde poſt bellum Macedonicum confectum, l. XLV, 10. *C. Popillius, qui ad Delum praeſidio navibus Macedoniam petentibus erat, poſtquam debellatum in Macedonia, et ſtatione ſubmotos hoſtium lembos audivit, dimiſſis et ipſe Atticis navibus, ad ſuſceptam legationem peragendam navigare Aegyptum pergit, ut prius occurrere Antiocho poſſet, quam ad Alexandriae moenia accederet.*

deret. Nempe difficile bellum Macedonicum et anceps, quo durante vix illud, *jubet te Senatus Populusque Romanus excedere tota Aegypto*, Antiocho per Aegyptum victori dici potuisset: at victa Macedonia, quae illo adhuc tempore fortitudinis artisque bellicae laude florebat, terror armorum Romanorum immensum crescebat, ut illis resistere, nec statim vel ignaviter parere, non auderet Antiochus. Ipsa me jam historia ad hanc deducebat versionem, *venient contra eum victores*, vel, *eversores Macedoniae, et pusillanimis fiet*, quae quidem lectioni מוציאים aptari posse videbatur, possit enim esse, sive, *ejicientes, expellentes Macedonas*, sive quod potius reor, הוציא Hiphil, idem cum Chaldaico Schafel, שיציא *exitio dare, perdere.* De נכאה vide sub כאה dicenda. Aliis verbis sententia: *a debellata Macedonia, magni nominis regno, venient victores, quorum ne nomen quidem Danielis tempore Hebraei norant, terroremque incutient Antiocho late jam per Aegyptum victori.*

1030. צואה *stercus, sordes*, צוא *sordidus.*

Nomen certae notae significationis hic ponendum erat, ut ab eo ad sequens צי transitus daretur. Unum de derivatione adnotare liceat: referunt fere recentiores ad יצא *egressus est*, ut sint proprie, *quae egrediuntur ab homine*, i. e. *excrementa:* satis verisimiliter, quamquam duobus locis stercora proprie sic dicta haud conveniunt, atque adeo translatio significationis a stercore, nimis turpis auditu, Jes. IV, 4. Zach. III, 3. *abluere enim stercora filiarum Sionis* quis dicere velit? aut adcusatus in judicio *stercoreas vestes* quis induat? Aliam derivationem offert Syria, eaque sola, (nec enim habent Arabes) a ܛܘܐ *sordidus fuit*, in Pael, *foedavit*, quod ipsum, ejusque derivata non raro pro Hebraico poni solent. Vide de eo Schafii, qui diligentius exempla collegit, lexicon Syriacum. Hic tamen, ubi quaesitum iri a lectoribus, recen-

recentiori alicui lexico adſvetis, putavi, locum ei dedi. Antiquiores lexicographi, Kimchius, Reuchlinus, ipſe adeo in concordantiis Buxtorfius, ſub צוא ponunt, hi quidem minus, quam recentiores, veriſimiliter, nihil enim ſub his literis reliquae linguae Orientales ejusmodi ſignificationis habent, ne etymon quidem, unde ſordibus aut ſtercori nomen duci potuerit.

1031. צו Jeſ. XXVIII, 10. 13. Hoſ. V, 11. idem cum praecedente, *ſordities*, *vomitus*.

Hac convivii ebriorum deſcriptione praecedente, Jeſ. XXVIII, 8. *omnes enim menſae plenae ſunt* קיא צאה *vomitu ſordido*, vel, ut alios voluiſſe dixi, *excrementali*, quis, ſi punctis non impediretur maſorethicis, et decimi verſus verba ſic extulerit, כי צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו *eſt enim vomitus juxta vomitum, vomitus juxta vomitum, ſordes*, aut ſi ſortiore vocabulo uti lubuerit, *ſtercus juxta ſtercus, ſtercus juxta ſtercus?* Sic et v. 13. Nempe erit צוֹ poſitum pro צֹא, Aleph finali ob praecedens O in Vau mutato, aut poſt ו omiſſo, quod in Arabica orthographia fere perpetuum, (vide grammaticam Arabicam §. 22.) in Hebraicis rarius, adferam tamen et alia in grammatica Hebraica exempla; poſt I quidem et Hebraeis paulo frequentius. Sola hic puncta turbant, צַו לָצָו קַו לָקָו habentia, plerisque, ſed perquam obſcuro ſenſu, et convivio ebriorum parum apte vertentibus, *praeceptum ad praeceptum, funis* i. e. *regula ad regulam*, aliis aliter. Vetus jam adpellationis error, et punctis antiquior, Hieronymus enim in commentario ſic latinis literis Hebraicas ſcribit, SAU LASAU SAU LASAU CAU LACAU CAU LACAU hic quidem pro imperativo habens, ac vertens, *manda remanda, exſpecta reexſpecta*, quod et in verſionem Lutheri Germanicam tranſit. (LXX θλίψιν vertentes, צר legiſſe videntur).

 Idem,

Idem, ut masorethae voluerunt, צָו in coaevo Jesaiae recurrit Hosea, c. V, 11. *oppressus est Ephraim, verberatus in judicio, ivit enim* אחרי צָו *post praeceptum?* Mirum! quis enim in judicio vapulet, quod praecepto obsequutus est? Addunt quidem, *humanum, Menschengebot*, sed ut taceam, nihil ejusmodi in Hebraico esse, ne id quidem in judicio cuiquam vertetur crimini, quod humanis legibus obedivit. Et hic vero צֹאָ adpellandum censuerim, vertendumque, ut egregia, neglecta ab interpretibus, praeivit Vulgata, *sordes, quoniam coepit abire post sordes*, quod quidem in commentario ad h. l. Hieronymus interpretatur, *post idola, quae sordibus comparantur:* גלולים, *stercora*, ea vocari meminerimus. Haec quidem de lectione literarum consveta, שוא enim legisse videntur LXX et Syrus, *μάταια, vana* idola, Chaldaeusque, *Mammonem mendacem*, vertentes, quae tamen lectio in codicibus Kennicotto consultis non reperta.

הֻצַּב Nah. II, 8. quaere sub צבב

1032. יצב, *stetit*, מֻצָּב *perennis, antiquus* Jud. IX, 6.

Jud. IX, 6. Sichemitae Abimelechum regem creant, עִם אֵלוֹן מֻצָּב אשר בשכם: sumo ex supra dictis, אלון terebinthum esse, rex ergo ad sacram creabatur arborem, ad *terebinthum* מצב, *quae est Sichemi.* Hic quidem מצב vix putem nomen proprium esse, sed a وصب *perennis fuit, stabilis fuit*, ut, יצב stetit, *terebinthum antiquam*, eandem forte, quae jam Genes. XXXV, 4. memoratur, mille enim annos vivunt terebinthi, ut disces ex Celsio, ubi de illis agit.

1033. מֻצָּב Jes. XXIX, 3. *angustia, arcte.*

Nomen, ut substantivum hoc unico loco occurrens, neutiquam, ut Vitringa putabat, facile, copia enim laboramus explicationum probabi-

babilium, quas etymologia, eaque ipſa multiplex et a diverſis radicibus, offert, optione difficili.

1) Poſſis ad radices יצב aut נצב *ſtetit* referre, atque explicare, ſive *ſtationem militum*, urbi circumpoſitam, ſive ipſum *vallum* circa eam excitatum. Sic quidem LXX. βαλῶ περί σε χάρακα, et Vulgata, *faciam contra te aggerem:* in utramque partem ductile, quod habet Symmachus, χαρακώσω κατά σου στάσιν. Vallo tamen obſtat, quod Aſſyrii, de quibus vaticinari videtur Jeſaias, Hieroſolymam non obſederunt, ſed antequam id facere poſſent fugerunt. Vide omnino Jeſ. XXXVII, 33.

2) Idem et obſtat interpretationi ex ضبّ *claudere, tegere*, unde עֶגְלוֹת צָב *currus* ſunt *tecti*, potuiſſetque *teſtudo* dici, *ſub qua oppugnantes ad murum accedunt.* Sic intellexiſſe Syrus videtur, *anguſtabo te* ܒܡܥܒܕܐ ܩܒܝܐ *fornicato opere*, eſt enim קַבֵּב Chaldaeis, *fornicatum opus ſtruxit*, Arabibus قبّة *camera fornicata.*

3) Aethiopibus צבב *anguſtiam* denotat, ab arcta clauſione ſic dictam. Id eximie loco aptum, *obſidebo te arcte.* Hoc quidem prope praetulerim, ſicque מצב non ad noſtram radicem, ſed ad צבב referendum erit: ponere tamen malui, ubi a plerisque lectoribus quaeſitum iri putabam.

1034. הִצִּיג *conſtituit.*

Verbum indubiae ſignificationis, ſed quod ſoli habent Hebraei, lucis ex reliquis linguis Orientalibus nec egens, nec quidquam accipiens. Ad radicem יצג referri ſolet, arbitrio potius lexicographorum, quam ratione aliqua aut uſu linguae, in Kal enim יצג nuspiam occurrit, poſſitque Hiphil הציג eodem jure ad נצג et צוג referri.

1035. יצע *stravit, humi posuit.*

Idem Arabico وضع *posuit, humi posuit,* unde et مَوْضَع *id quod alteri substernitur,* 1 Reg. VII, 30. Non habent Syri.

1036. יצק *effudit.*

In hoc verbo nos iterum, ut paulo ante in יצג, Syria destituit et Arabia: nec tamen dubia significatio. De uno Jobi loco, c. XXII, 15. conjecturam promere liceat: estne ibi transitive, *eluere*, accipiendum, mutatisque punctis נהר יוצק יסודם vertendum, *et fluvius eluit fundamenta ipsorum.* Ita filum poscere orationis videtur, praeivitque Vulgata: *et fluvius subvertit fundamentum eorum.* Nec contemnenda auctoritas, in Jobo enim vertendo Hieronymus sequi solet Lyddensem Rabbinum, qui, ut in praefatione ait libri, *apud Hebraeos primus haberi putabatur.*

1037. יֵצֶר *pactum* Jes. XXVI, 3.

Haec Jesaiae verba: יֵצֶר סָמוּךְ תִּצֹּר שָׁלוֹם שָׁלוֹם quam interpretentur varie, non est hic enarrandi locus, sunt aliae aliis interpretationes meliores, nulla tamen mihi satisfacere visa. Arabibus quidem وِصْر, وَصَرَة et وَصِيرَة *pactum,* nescio, unde dictum, Hebraica enim *formandi* significatione verbum وَصَرَ Arabibus non usitatum, seu potius verbo omnino lingua eorum caret. סמוך de *perpetuo* et *stabili* ponitur, Ps. CXI, 8. Jam egregia prodibit sententia, si vertas: *pactum perpetuum servabis nobis, pacem, pacem,* i. e. pacem perennem. Vide versionem germanicam. Proxime, solo ductus orationis filo, ab hac versione abfuit, qui Arabiae luce uti non poterat, sed solo eximio ingenio, Lutherus, *du erhältest stets Friede nach gewisser Zusage.*

1038. יצרים Job. XVII, 7. *pinguia.*

Ἅπαξ λεγόμενον, varie ab antiquis redditum, ex quibus verisimilius Vulgata, *membra mea.* Sic et Schultensius ad h. l. nisi quod et Cocceji, *lineamenta*, quodammodo defendat. Membra a *formando* nomen sortiri potuisse, quis non videt? Usu tamen linguarum orientalium destituitur. Quid ergo si potius, *pinguia*, vertas, *pinguia mea facta sunt ut umbra*, i. e. totus emaciatus sum, pinguis antea, ab Arabico وضر cujus prima vis in *pinguedine*, licet et deinde in malam partem de sorditie ponatur. Sententia: *aerumnis et solicitudine emaciatus sum*, ut in praecedente membro, *caligat moerore oculus meus:* morbus enim ipse, qui Jobum invaserat, elephantiasis, non emaciat.

1039. יצת Hiph. הִצִּית *accendit.*

Etiam hujus radicis nulla vola, nullum vestigium in reliquis linguis Orientalibus: ipsisque Hebraeis in Kal inusitata. Praeter loca ex quibus citatur, suspicor etiam Nahum. I, 6. נִצְּתוּ legendum, *montes ab eo incenduntur*, i. e. *ardent*, de montibus ignivomis dictum: sed nullus conjecturam codex firmavit

1040. מוֹקְדָה מוֹקֵד, יקד *incendium, ignis materia.*

מוֹקֵד ter obvium, Levit. VI, 2. (al. 9.) Jes. XXXIII, 14. Ps. CII, 4. a recentioribus *focus* verti solet, conjectura potius, nec sane felici, quam philologico argumento. Tertio quidem loco Ps. CII, 4. *ossa mea* כמוקד (*ut . . . .*) *adusta sunt*, notio minime apta, ubi potius *materia ignis est, lignum igne adustum.* Sic وقود ponunt Arabes, ut, Sur. II, 22. *timete ignem,* وقودها الناس والحجارة *cujus materia sunt homines et saxa,* i. e. homines et saxa comburentem. Praeiverunt ibi LXX φρύγιον, et Vulg. *cremiam*, quod in lexicon receperat, ab aliis deinde eliminatum, Reuchlinus. – – Levit. VI, 2. legens,

gens, *illud, holocauſtum, per totam noctem usque ad matutinum tempus eſto* . . . . . עַל מוֹקְדָה, hoc non vertat potius, *in altari, ſuper ſtrue lignorum* (ardentium,) *rogo*, quam, *in foco?* maxime, cum ſequatur, *et ignis altaris ardeat ſub ipſo?* niſi forte, ut veterum aliqui praeiverunt, מוֹקֵד de ipſo combuſtionis actu intelligas, punctisque mutatis, עַל מוֹקְדָהּ, vertas, *haec eſt lex holocauſti, de combuſtione ejus.* In Jeſaia denique, aut *rogus ardens*, aut, ipſum *incendium*, ignis aeternus, non focus. Vulgata ibi *ardores ſempiternos*, habet, Chaldaeus, *gehennam aeternum ardentem*, Syrus harmonice ܡܘܩܕܐ ܕܠܥܠܡ, ſed quod, ex hoc ſolo loco citatum, nil novae lucis adfert.

1041. 1042. יָקָה *cuſtodivit*, יָקָהּ *obedivit.*

Duplex verbum, ſi vel nuspiam in ſacris literis occurrat, quamquam alterutrum reperire tibi videri poſſis Prov. XXX, 1. ob derivata noſcendum et diſtinguendum.

1) יָקָה, Arabice, وقي *cuſtodivit*, *cavit*, in octava اتّقي *timuit.*

2) יָקָהּ cum He Mappikato, وقه *obedivit.*

Occurrere, ut dixi videtur, Prov. XXX, 1. ubi יָקֶה, ut nomen proprium, displicet, quas quidem ob cauſſas? id in bibliotheca Orientali dicam, ubi ad meliores impreſſis Proverbiorum lectiones perventum. His animatas vocalibus, aliterque dispertitas literas, דְּבָרַי אֱגֹר בְּנִי קֵה הַמַּשָּׂא, verterim, *verba mea collige fili*, *obedi oraculo*, aut, quod prope magis placet, קֵה הַמַּשָּׂא, *ſerva*, vel, *time oraculum:* niſi forte, nam et haec animum ſolicitavit ſuſpicio, קַח legendum, *accipe oraculum.* Praeiverunt aliqua parte LXX *τοὺς ἐμοὺς λόγους, υἱὲ, φοβήθητι* (גּוּר pro אֱגֹר) *καὶ δεξάμενος* (קַח) *μετανόει.*

Ad radicem יָקָהּ *obedivit*, ſine dubio referendum,

1043. יִקְּהָה *obedientia* Genes. XLIX, 10. Proverb. XXX, 17. quod licet meliores ex lexicographis jam dudum huc retulerint, est tamen et de illo aliquid dicendum.

In loco Geneseos *obedientiam* jam praeiverunt, Onkelos, Targum Hierosolymitanum, exque versionibus Samaritano-Arabicis illa, quam edidit Durellus, وله تنقاد الشعوب *et ipsi obedient gentes*. Sic et ex Rabbinis primarii, Abenezra, inque radicum libro Kimchius, sed non addita linguae Arabicae auctoritate, alter etiam, Abenezra, Jod praeformativum existimans, ac nomen male ad radicem קהה referens.

Sed et de erroribus dicendum aliorum.

1) *exspectationem* vertunt, LXX. αὐτὸς προσδοκία τῶν ἐθνῶν, Vulg. Hieron. Syrus. יקהת confudisse videntur cum תקוה, aut ex hoc noto sibi nomine de ignoto conjecisse.

2) Arabs uterque et Samaritanus alter, *ad illum congregabuntur populi*. Suspicari possis, eos יקהלו legisse, sed nihil ejusmodi hucusque in codicibus repertum: Samaritani verbaliter quidem, sed sive יקהתו habent, sive יקחתו, nullus per Lamed. Raschi, idem sentiens, transpositionis literarum artificio utitur, יקה idem vult esse ac Thalmudicorum קהה, *congregare*, et יקהת idem quod קְהִלַּת. Castellus in lexico radicem Samaritanam habet, קהת *congregavit*, sed ex hoc solo loco sumtam, reliquisque linguis orientalibus ignotam.

3) Abendana ad radicem קהה retulit, cujus primam vim in *debilitate* vult esse, vertitque, *clades inferet gentibus*. Forte idem sentiens Jonathan, בריליה יתימסון עממיא *propter illum colliquescent gentes*.

Nihil horum arrisurum puto lectori, vel lexicon Arabicum evolvere docto.

Quomodo acciderit, ut Prov. XXX, 17. aliqui *canitiem* verterint, quaere ſub להק.

1044. יקט *proſtravit*. Job. VIII, 14.

יקוט כסלו ad radicem קוט *faſtidire* plerumque referunt: ſed diſplicet ſententia, *qui fiduciam ſuam faſtidiunt*: (quos fiduciae ſuae pudet, exſpectaſſes): nec melius Schultenſianum, *quem ſua ipſius fiducia cum taedio rejectabit*, pejusque omnibus, quod in notis habet, *cujus cum fragore diſſiliet lumbus*.

Ergo ad radicem יקט refero, ut participium Paul, *quorum fiducia humi proſtrata eſt*, collato Arabico, وقط, *impingere aliquem terrae, et vero graviore impetu aut noxa*.

1045. יקטן Geneſ. X, 25.

Nomen proprium incolarum felicis Arabiae ex ſtirpe Semi, quos Indos vocare, Cuſchitisque opponere ſolent Syri, eorumque progenitoris, ejusdem, qui Arabibus Cachtan, قحطان, aliis tamen Joctanem a Cachtane diſtinguentibus, ut alter ſit alterius filius. Utrumque forte nomen viri, dum viveret, non fuit, ſed a poſteris ei inditum, (plane ut Falego) quod tempore ejus minui longaevitas hominum ac decreſcere inciperet: Hebraicum, ut jam ex Judaeis aliqui voluerunt, a קטן *parvum eſſe vel fieri*, *minui*, Arabicum a قحط quod ipſum de diminutione et penuria ponunt. Excerpſi haec ex Spicilegio geographiae Hebr. exterae T. II. p. 148–152. ubi, ſi volupe fuerit, plura et copioſiora quaeres.

1046. יקע, הוקיע (*ligno adfixit*.)

In verbo יקע infelicius, quam in aliis, rem gerere lexicographi ſolent, unius alterum ſequuti, nemine dubitare auſo. *Luxandi*, et *pendendi* illi notionem dant, unde in Hiphil ſit, *ſuſpendere* ex infelici arbore, quarum notionum nihil in hoc verbo totus habet Oriens, Arabico

bico وقع alia significante omnia, reliquis linguis cognatis יקע plane ignorantibus. Suspendium illi quidem dictum volunt, a gratis sumto *pependit*, laqueo factum intelligentes: suspendium illis non nego, sed aliunde dictum, nec laqueo, sed adfigendo clavis peractum.

Deinde, nec dubitantes, alia verba plane dubia, ad hanc radicem referunt, de qua praeter conjecturas nihil habent, ut Jerem. VI, 8. *ne luxetur anima mea a te*, vertentes, huicque loco simillima Ezech. XXIII, 17. 18. 22. 25. licet ibi ter נָקְעָה legatur, quod quis non potius radicis נקע esse, vel primo oculorum conjectu judicet: quin et, ne quid intentatum relinquant, obscura ex obscuris explicandi, etiam nomen קוֹעַ Ezech. XXIII, 23.

Incipiamus a certis, הוֹקִיעַ, vel הוֹקַע, quod sine dubio ad hanc radicem referendum, Num. XXV, 4. 2 Sam. XXI, 6. 9. 13. Arabibus, qui soli verbum habent, وقع est

1) intransitive, *cecidit*, *concidit*, *decidit*, quod sequentibus notari velim, quin et cum عن et من constructum, *abstitit ab aliqua re*

2) transitive, *percussit*, *cudit malleo*, q. d. incidere fecit malleum, unde et *acuere ensem* dicunt, et مَوْقُوع *acutum redditum ensem*, *contusum malleo*, &c.

Jam cum videas, verbum de illis poni, qui ultimo supplicio adfecti ignominiae caussa ex ligno infelici suspenduntur, vix dubitare poteris, quin sit, ut proprie dicam arbori infelici *adfigere*, clavis nempe et malleis. Simile ergo hoc Hebraeorum suspendium, non nostro, quod laqueo fit, sed crucifixioni Latinorum et Persarum, nam et apud hos cruces memorantur. Illa quoque post mortem suspensio, quae verbo תלה exprimitur, non videtur laqueo facta, certe Genes. XL, 19. ille post mortem ex arbore suspenditur, cui antea caput amputatum.

Forte

Forte Hebraicum תקע, *infixit manum, manu manum percussit*, quod plane non habent Arabes, nostro origine idem aut cognatum, verba enim primae rad. Vau et Jod cum verbis primae rad. Thau apud Arabes frequenter permutantur: sed hoc in dubiis pono, sola significationem similitudine ductus.

Loca Jeremiae et Ezechielis, quae supra indicavi, ad hanc radicem si referri velis, conferrem, quam et supra attuli, phrasin Arabicam, وقع عن *abstitit ab aliqua re*, verteremque, *absistit a te, relinquit te, anima mea*, i. e. *amor meus*. Sic quidem Ezech. XXIII, 17. Graeca versio, *ἀπέστη ἡ ψυχὴ αὐτῆς ἀπ αὐτῶν.* Sed vix mihi verisimile, huc ea pertinere, sub נקע potius quaerenda puto. נָקְעָה non potest esse Niphal verbi יקע, quod נָקְעָה seu potius נוֹקְעָה scribendum fuisset.

וַתֵּקַע Genes. XXXII, 26. de acetabulo femoris Jacobi positum, maxime dubium, demtis enim punctis quis non ad aliam radicem retulerit, וַתְּקַע, *et percussit acetabulum femoris Jacobi?* maxime, cum ne unicus quidem codicum hucusque consultorum, Samaritanus nullus, nullus Judaicus, cum Jod ותיקע habeat. Est tamen et de sententia dicendum, quam verbum יקע hic fundere possit. وقع cum sit, *cadere*, prima, cujus in mentem venire possit, versio haec foret, *excidit acetabulum femoris*, sed hanc versionem quis rei mediocriter peritus non statim repudiet? Os femoris inferius excidere ex acetabulo potest, non ex osse acetabulum: illudque si factum esset, os femoris si ex acetabulo excidisset, rupto ligamento, proximo, ut jam supra p. 304. diximus, mane non claudicaturus fuisset Jacobus, sed omnino pedibus insistere atque incedere non potuisset, donec non solum os restitutum in acetabulum esset, sed et abruptum ligamentum denuo coaluisset. Sed et audiamus veteres:

1)

1) LXX. ἐνάρκησε, Vulg. *ſtatim emarcuit*, Syr. ܘܐܬܡܫܟ. Quid ſit *obtorpere* in acetabulo femoris, non ſatis intelligo, nec Arabicae linguae وقع id ſignificat. Abdicemus ergo, ut conjecturale, ex LXX ad alios tralatitium.

2) Chald. ܐܬܙܝܥ *commotum*, i. e. *loco emotum eſt*, et Arabs uterque زال. Sic et plerique recentiorum, *luxatum eſt*. Id vero rei naturam non admittere, vix dum dictum.

3) Joſephus Ant. I, 20, 2. *doluit* (καὶ γενομένου διὰ τὴν μάχην ἀλγήματος αὐτῷ περὶ τὸ νεῦρον τὸ πλατύ). Hoc quidem reliquis melius, poſſetque *dolor* et *laeſio* a percuſſione dici, ut vel Golius ſub وقع habet, *male habuit ex plantis pedum nudipes, ob ſaxa et duritiem ſoli*, inque ſecunda, *atterendo laeſit*, *ſauciavitque.*
Sed praeſtat tamen, ut mihi videtur, ad radicem תקע referre.

1047. יקף,

unde faciunt הִקִּיף *in orbem redire*, *circumdare*, commentitia radix, ex lexicis delenda. Habent Arabes وقف, ſed alia omnino ſignificatione, *ſtetit:* non habent Syri, quorum ܐܩܝܦ ex legibus grammaticis ad ܝܩܦ referri plane nequit, eſt certe haec forma Aphel in verbis primae rad. Jod. nullo exemplo firmata. Ergo quaere infra ſub נקף, quo ex legibus grammaticis referendum.

1048. יקץ *evigilavit*,

non habent Syri, ſed habent Arabes ſub يقض et يقظ, eadem cum Hebraico ſignificatione.

1049. יְקָרַת Jeſ. XXVIII, 16. *pondera*, *gravitas*.

Nolim *pretioſum* lapidem intelligere, ut vertunt plerique, cum, quod in lapide angulari non pretium ſpectatur, ſed ſoliditas, tum quod adjective יקרה dicendum fuiſſet, nec ſtatus conſtructi יְקָרַת ra-

 tio

tio expediri potest. Ergo malim, lapidem *ponderis* vel *ponderum* intelligere, id est, *gravem*, ipsaque gravitate immobilem, ex يبس et وقر *gravis fuit.* Monuerunt dudum ante me lexicographi, primam vim verbi יָקַר in *gravitate* esse, a qua et *pretiosum* dictum sit.

Quibus punctis animandum vocabulum, nondum satis liquet. Masorethica יִקְרַת vix probaveris, nomen enim status constructus nullum aliud sequitur, quod genitivo casu reddi possit. Esne יְקָרֹת (*lapis*) *ponderum*, scribendum. De significatione nominis constare mihi videtur, de forma et terminatione in ת alii viderint, nec enim est hujus loci disputatio, atque ut candide fateor, nondum mihi liquet.

1050. יקתאל *Joctheel* 2 Reg. XIV, 7.

Nomen, Petrae (Arabiae Petraeae metropoli? an alii?) bello captae, ab Amasia inditum, de cujus significatione quaeritur. Mihi quidem non ad hanc radicem videtur referendum, sed ad קתה, Ar. قَتَا *servivit*, exque futuro Hophal ortum, *servire cogitur deo.* Sub Jod tamen cum plurimi nomen quaesituri sint, Simonisque a وقت derivet, hic ejus mentionem facere malui. Scribi cum Thau Dageshato יָקְתְּאֵל ex lege debuisset, at editiones vulgatae sine Dagesch יָקְתְאֵל habent, cujus scriptionis caussam non assequor, nisi forte *Ja-Kteel* per Kamets adpellari masorethae voluerunt. Codices consulendi, quos vix putem in Thau Raphatum omnes consensuros.

1051. ירא *timuit*, *pius fuit*, *satiavit.*

Verbum, cum derivatis, Hebraeis notissimum et frequentissimum, nec dubiae significationis, sed quod Syris plane periit: Arabes habent sub ورع, *timidus*, *pavidus fuit*, de quo vide et infra sub ירע. Adde et quae sub יָרָה dicentur. Videntur ergo tria verba ירא, יָרָה, ירע

ירע, inter se cognata, ultima radicali gutturali permutata, ita tamen, ut sit alterum altero aut usitatius, aut significatu fortius.

Timorem dei pro complexu totius religionis poni, non Hebraeis solum frequens, sed et aliis linguis, cognatis cum illa, et diversissimis, ut nostris Europaeis. Sic Arabes verbis وقي et تقي eorumque derivatis utuntur, Syris ܕܚܠܐ, *pius*, proprie est, *timens*, collato Arabico خشي *timuit*, unde Hebraeis חסה *fugit*, *confugit ad aliquem*. Notemus et 2 Reg. XVII, 28. ubi non de ipso timore dei, sed de ejus cultu externo et ritibus ponitur.

رَوِيَ Arabibus est, *repletus cibo*, *satiatus fuit*. Hinc explicanda consveta lectio Proverb. XI, 25. ומרוה גם הוא יורא *qui alios inebriat* (lautum illis convivium praebet) *ipse quoque satiabitur*. Sic erit aliqua inter, רוה *inebriare* et רוא *satiare cibo*, paronomasia. Meis tamen auribus praeplacet יורה XXVIII codicum Kennicottianorum, de quo vide infra sub ירה.

1052. יראי יהוה.

De latiore et consveta significatione, qua pios omnes complectitur, jam non disputo. Psalmo autem CXV, 9. 10. 11. CXVIII, 2. 3. 4. CXXXV, 19. 20. ubi *timentes Jehovam* ab *Israele*, *familia Aharonis*; et *Levitis*, distinguuntur, vix alii esse possunt quam proselyti, Graece *φοβούμενοι τὸν θεὸν*, Act. XIII, 26. alibi *εὐσεβεῖς*. Eodem modo et accipiendum puto Ps. XXII, 24. praeeuntibus Raschio (גרים) Abenezra (*timentes Jehovam ex gentibus*) et, copiosiore, quam ut hic describi possit, Theodoreto.

1053. יראה et יראת אלהים *pietas*, *cultus dei*.

De verbo ירא quae vix dum diximus, ea et ad nomen יראה transferenda, omnia illa, quae deo debemus, pietatem, cultum, atque adeo cognitionem dei aliquando complexum. Primarius locus, sed

sed ex meliore et antiqua lectione, 2 Paral. XXVI, 5. ubi Zacharias, sacerdos, erudivisse dicitur regem, בִּירְאַת הָאֱלֹהִים *in timore dei*, i. e. in vera de deo, ejusque cultu, ergaque illum pietate, doctrina. Nostri quidem Vulgati בִּרְאֹת habent, *in videndo deum*, haud probabili sententia, at ביראת habent LIII codices Kennicottiani, a prima vel secunda manu, aliique VI, ex utraque lectione conflatum, ביראות. Ex versionibus antiquis *timorem dei* habent LXX. Syr. Ar. Chaldaeus, sola Vulgata anonymusque graecus, ὁρασιν vertens, lectioni editae בראת suffragantur. Thalmudis quoque et Rabbinorum auctoritatem pro בִּירְאַת attulit Buxtorfius in lexico biblico sub ראות, exque eo Kennicottus, *second dissertation on the state of the printed Hebrew Text* p. 257. aut, si malis, dissertationis praeliminaris, quam bibliis a se editis subjunxit, §. 35.

Quin et, nomine Dei omisso, יִרְאָה simpliciter positum in eandem videtur sententiam accipi, Job. IV, 5. הלא יראתך כסלתך, *nonne pietas tua est fiducia tua?* et XV, 4. אף אתה תפר יראה *etiam tu irritam facis, abrogas religionem ac pietatem.* Sic quidem et Arabibus تَقْوَي simpliciter, *timor* (dei), تَقِيّ et مُتَّقٍ *timens* (deum) *pius*, Syris ܢܟܦܐ *pius*, proprie *timens*, indeque ܢܟܝܦܘܬܐ *pietas*, *sanctitas*.

1054. יָרֵב Hos. V, 13. X, 6.

יָרִיב *adversarius*, nomen ex tertia persona futuri ריב ortum, notissimum, nec de eo jam disputo, sed de solo Hoseae מלך ירב *rege Jareb*, cujus perquam dubia est interpretatio, licet id ex serie orationis c. X, 6. manifestum, *regem Assyriae* intelligi.

Coccejus quidem ad רוב referens adpellative, *regem adversarium* interpretatur, non sane veri dissimili conjectura, sed vix ullo veterum prae-

praeeunte, nec favente orthographia, magna enim constantia codicum Kennicotto excussorum, ירב sine Jod post Resch scribitur. Proximus illi Jonathan, *regem ultorem* vertens. Isne etiam ad ריב retulit?

Adpellative si accipiendum nomen, *regem magnum* vertere malim, quod in Asia nomen usitatum ad Graecos etiam transiit, (ὁ μέγας βασιλεὺς, i. e. rex Persarum): est enim et ܝܪܒ prima radicali Jod Syris, *magnus fuit*, unde ܐܬܝܪܒ chrestom. p. 3. *magnum se fecit.*

Aliis, LXX et Syro, nomen proprium visum fuit, unde illud retinent; Ἰαρειμ et ܝܪܒ: quae legentes, et Ephraemus Syrus, et Theodoretus, ad c. V, 13. in Aegyptum consentiunt. Probari his forte ac perplacere possit, quibus persvasum est, PHIB Aegyptia lingua Aegypti nomen fuisse, quo de errore et alibi diximus, et infra sub רהב dicemus: sed fac verum esse, ירב tamen Aegyptus esse nequit ob alterum locum X, 6. ubi vitulus aureus deportandus dicitur *in Assyriam*, munus regi *Jareb.*

Nec ullum omnino celebre nomen, nostro quodammodo simile, geographia Orientalis habet, praeter antiquum Medinae, يثرب (*Jathrib*): sed noli hoc indicio lectionis fidem solicitare, quid enim Medina ad decem tribus? nec dubitare potest caput X, 6. legens, quin de Assyriae rege propheta loquatur.

Ergo, proprium si nomen regni est, forte ab aliquo castello palatioque ductum, dudum deleto, in quo reges Assyriae habitarunt, cujus nulla ad nos pervenit memoria.

Res dubia: mihi tamen ex conjecturis, quibus solis hic uti licet, ea praeplacet, quae *regem magnum* interpretatur.

1055. יְרֻבַּעַל

Cognomen Gideoni inditum, a dicto ירב בעל *litiget*, i. e. *ipse caussam suam agat Baal*, ut sacer historicus docet Judic. VI, 30–

32. pro quo et יְרֻבֶּשֶׁת dici potuisse, supra p. 164. monitum. Syro interpreti, pro more Orientali nomina propria vertenti, Judic. VI, 32. VIII, 1. est ܢܪܘܒܥܠ, ex ܒܥܠ ܢܪܘܒ *litiget Baal*, nisi forte vitiose est editum, rescribendumque ܢܪܘܒܥܠ. Ἱερόμβαλος, *sacerdos dei Jehova*, a quo Sanchuniathon historiam habere Judaicam dicitur (*), vix alius, quam Jerubbaal esse videtur: sic ex מף Graeci Μεμφιν faciunt, ex חבקוק Ἀμβακόυμ.

1056. יַרְדֵּן Job. XL, 23. (al. 18.)

Jordanes fluvius, cui ignotus? sed vix videtur locum habere Job. XL, 23. ubi de elephante, *si erumpat Jordanes ad os ejus, securus est*, vel, *securus jacet*. Memini, me hic Jordanem jam turbare, cum adolescens Hebraica discere inciperem, haesitationemque juvenilem magnopere probare coepi, cum viderem magno Alberto Schultensio Jordanem hic molestum, atque nec elephanti, nec, quem alii Behemothum faciunt, hippopotamo convenire visum.

Nec quidem displicet, quod Jobo, vallis ut mihi videtur Damascenae incolae, Jordanem ut majoris fluvii exemplum memorat Deus, est enim, Shawio (**) teste, omnium quos in Africa septentrionali atque Syria vidit, post Nilum longe maximus. At perquam incommode ut majoris fluminis exemplum ponitur, ubi de elephante sermo, idque triplicem ob caussam:

1) elephanti quid cum Jordane? Africae potius aliquod majus flumen exspectasses, ex elephantorum patria, Nilum, nec vero Aegypti, sed superiorem Aethiopiae, aut Nigrum, si quis est.

2) Jordanes, maximus quidem Euphratem et Nilum inter fluvius, nec tamen ejus magnitudinis, ut memorari, ubi de elephante non timen-

(*) Eusebii praep. evangel. l. I. c. 9.

(**) p. 346. itinerarii, versionis germanicae 299.

timente sermo. Est quidem ille Salae ad Halam fere aequalis, referente Kortio: hanc quidem ingredi, nec reformidare, elephantem, non magnum; ipsum Rhodanum Hannibalis elephantos ingressos esse, et, ubi incedere non dabatur, tranatasse, ex Livio notum.

3) De fluvio sermo esse videtur, exundante, quem vel ad os usque pertingentem non fugiat elephas. Jordanes, quidquid etiam comminisci aliqui ausi sunt, certo certius non in Nili modum exundat.

His quidem argumentis ducto Jordanem aliquem in Africa, et vero zona ejus torrida quaerenti, geographia nihil obtulit. At coelum nobis et astra aliquem Africae fluvium, cujus nomen Hebraicis literis ירדן paulo aliter adpellatis, satis concinit, offerre videntur.

Est in hemisphaerio Australi sidus *fluminis*, *fluminis Orionis* (*ποταμὸς Ὠρίωνος*) seu, ut alio nomine vocatur, *Eridani*. Ab Eridano, exiguo Atticae fluvio nomen accepisse, nemo forte suspicetur: de Italiae *Eridano* plerique cogitant. Suspectum quidem nomen, sideri Australi, et vero a Graecis, ab Italiae fluvio, nec vero primae magnitudinis, sed si Istro aliisque comparetur, valde mediocri ductum: sed quod plus est, ipse Italiae Eridanus perquam *suspectus*, aut potius fabulosus, a poetis Graecorum, insigni geographiae ignorantia, in Italiam, marisque Adriatici sinum ultimum, (terram fabulosam,) translatus, accolis plane ignotus, sed deinde, Graecorum poetarum imitatione a Latinis quoque poetis pro Pado, (sic accolae vocabant), positus. Non ignota loquor, sed ex Cellario discenda, (T. I. geogr. p. 630. 631. adscribo tamen insignia verba et luculentissima Strabonis, fabulosum hunc Italiae Eridanum plane contemnentis, libr. V. p. 215. al. 329. *τὰ δὲ πολλὰ τῶν μυθευομένων ἢ καταψευσμένων ἄλλως ἐᾶν δεῖ· οἷον τὰ περὶ τὸν*

φαέθοντα, καὶ τὰς Ἡλιάδας, τὰς ἀπαιγειρουμένας περὶ τὸν Ἠριδανὸν, τὸν μηδαμοῦ γῆς ὄντα, πλησίον δὲ τοῦ Πάδου λεγόμενον, καὶ τὰς Ἠλεκτρίδας νήσους τὰς πρὸ τοῦ Πάδου, καὶ Μελεαγρίδας ἐν αὐταῖς· οὐδὲ γὰρ τούτων οὐδέν ἐστιν ἐν τοῖς τόποις: *fabulosa autem multa, aut plane mendacia, praetermittenda arbitror, ut quae de Phaethonte narrantur,* et *Heliadibus* (solis filiabus) *in populos mutatis juxta Eridanum, qui nullibi terrarum est, sed in vicinia dicitur Padi fuisse; deque insulis Electridibus ante Padum, et meleagridibus quae in illis sint: nihil enim horum ibi locorum reperitur.*

Alibi ergo Eridanus, nec de illo jam loquor ad quem electrum (*), sed illo qui sideri Australi nomen dedit, quaerendus: licebit et in Africa quaerere, maxime cum et Phaethontem ad Aethiopiam fabularum aliquae referant. Plinius quidem, diversas de electro sententias fabulasque referens, lib. XXXVII. §. 11. (Harduin edit. P. II. pag. 769. lin. 27.) *Chares vero Phaethontem in Aethiopia Hammonis obiisse* (dixit) *ob id delubrum ibi esse atque oraculum, electrumque gigni.* Estne ergo Nilus, Eridanus, nec vero Aegyptum perfluens, sed Aethiopicus? Ipsi adeo Phaethonti solis filio, et *Eridanus* nomen fuit, teste ad Aeneid. VI, 659. Servio: sic vero quis fluviorum mythologice rectius veriusque dici Nilo possit, eo ipso tempore, quo sol Aethiopiae in vertice est, aestivo, quotidianis imbribus aucto et in mare crescente? Certe, ut ex Strabone discimus, (p. 1139. al. 790) non defuerunt ex antiquis, qui hanc ipsam ob caussam Nilum ab Homero, *coelo delapsum Aegypti flumen* (Ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο, Odyss. Δ 581) dictum putarunt. — — Verum est et alius, qui cum Nilo contendere possit, Africae Occidentalis fluvius, *Niger* veterum, noster

(*) Hunc quidem aliqui volunt alveum esse Vistulae, *Radaune* dictum, qui Dantiscum perfluit.

ſter *Senegal:* aeque, ut ille, Aethiopiam, quam veteres dixere, patriamque elephantorum permeans, aeque illis menſibus, quibus ſol in vertice eſt, quotidianis imbribus exundans, ac maris in morem terris innatans. Ac vero pro Nigro facere videtur, quod ex Mnaſea excerpſit Plinius, eodem paragrapho p. 770. lin. 11. *Mnaſeas Africae locum Sicyonem adpellat; et Crathin amnem in Oceanum effluentem, e lacu, in quo aves, quas meleagrides, et Penelopas vocant, et vero ibi naſci ratione eadem qua ſupra dictum eſt de Electride lacu.* Nomina, fateor, ignota, Sicyonis Africae, et Crathis fluvii, forte quod Africana et indigenarum ſunt, nec alibi apud Graecos leguntur: Stephani tamen tabulam Africae inſpicienti ſtatim ejus Niger occurrit, plane talis, qualem Mnaſeas deſcripſit: nullus certe Africae major fluvius, veteribus notus, praeter Nigrum, Oceano illabitur, isque, ut ex Stephani cum tabulis tum textu (p. 109. 110) liquet, ex palude oritur, plane ut Senegal recentiorum, quem ipſum ex palude intimae Africae oriri tradunt.

Timide haec et ſaepe ſubdubitans ſcripſi, celare tamen lectores nolui, adcuratius poſt me inquiſituros. Id quidem certum videtur, primo *Eridanum* in coelo ab aliquo Africae fluvio, Nilo? an Nigro? nomen accepiſſe: deinde ירדן Jobi, quem exundantem non timet elephas, Africae eſſe aliquem fluvium in elephantorum patria exundare ſolitum. Sitne autem *Eridanus* et ירדן idem nomen, idem fluvius, id deliberent et exiſtiment poſt me alii. Poſſit adeo etymologiae illis in mentem venire, a ירד *deſcendit*, quod coelo deſcendat, ſit, διοπετής, ut Homeri verbo utar: ſed etymologiarum ambages et incerta refugio, nec auſim Africano fluvio, maxime ſi ſit occidentalis, ex Hebraica lingua etymon adſerere: nec tamen et negarim, cum poſſit a Phoenicibus inditum eſſe.

1057. יָרָה

Veras ſignificationes verbi lexica dudum habent, de ſola illarum cognatione, atque, ſi fas eſt ita loqui, genealogia, quaeſtio etymologica oritur, anceps, ut ſolet, et dubia. Video nonnullos, qui eam attigerunt, (intactam enim reliquerunt alii) ne veri ſimilia quidem dixiſſe: timide ergo, nec ſine praefamine veniae, ſi erravero, quid mihi videatur veri non diſſimile, promere liceat. Vis verbi, ex his, quam novimus, (nec enim ad primas linguarum origines ac fontes poſt tot ſecula adſcendere licet) prima, eadem eſſe videtur, quae latini, *jaculari*, *jacere*, *ſpargere*, late per uſum linguae Hebraicae patens, hinc et apud Arabes ورى eſt, *ignem elicere*, proprie *ſcintillas ignis ſpargere*, cujus quidem multa dare exempla in promtu, ſed ſtultae oſtentationis puto, ex quovis bono lexico inſpicienti tironi nota, ac de quibus nemo dubitet, exemplis confirmare. A ſpargendo et ea conſperſio terrae, quae pluvia fit, dicta, verbo non ſolum hac ſignificatione occurrente, Hoſ. VI, 3. X, 12. Proverb. XI, 25. (ſi cum XXVIII codicibus Kennicottianis יורה legas) ſed et nominibus pluviae autumnalis, יורה et מורה inde ortis.

Hiphil, הורה, *docuit*, ſignificatio certa, etymon dubium: ambigi enim duplex inter poteſt, 1) a *rigando*, doctrina, tanquam aliqua pluvia coeleſti, fere ut הִטִּיף *ſtillare*, eſt et, docere, quod ſuo loco vide: 2) *ab eliciendo et ſpargendo igne*, ut ſit, tanquam lucem accendere. Sic forte ſenſit Graecus interpres Judicum et Regum, qui φωτίζειν vertere ſolet, Jud. XIII, 8. 4 Reg. XII, 2. XVII, 27. 28. (Vide et dogmaticam noſtram p. 579. 580.) Hoc quidem duplici ſe etymo ultro offerente, non opus erat, docendi notionem, ut fecit Simonis, a ראה *vidit*, alio plane verbo, repetere.

Dicendum et de ונירם Num. XXI, 30. ac ratio reddenda verſionis meae germanicae, licet jam a me diſſentiam. Puncta perquam ano-

anomala, וַנִּירָם, duplici forte vocalium lectione in unam confusa, scribendum enim fuisset, sive

1) וַנִּירֵם ut sit verbum. Nemo ita veterum, hi enim omnes nomen habent, at recentiorum multi, Kimchio in libro radicum praeeunte, licet facile credam, paucos eorum librum radicum inspexisse, aut nosse, quo ab auctore tralatitia sententia. Sic verti possit, sive, *jaculati sumus illos*, sive etiam, quod praeferrem, *dejecimus, prostravimus eos.* Vertebam, *accendimus, igne vastavimus eos*, ob ultima versus verba, אשׁ עד מידבא, qua de lectione in bibliotheca Orientali agam; conferebamque Arabicum ورى: sed jam displicet, est quidem ورى *ignem elicere*, sed et de incendio poni posse gratis sumebam; nullum certe exemplum succurrit, quo hanc significationem firmare possim.

2) Sive וְנִירָם ut sit nomen, quod jam praefero. Ita non huc, sed ad ניר pertinebit.

1058. יוֹרֶה *pluvia autumnalis.*

יוֹרֶה pluviam, quam primam dicunt, πρώϊμον, esse, notissimum. Dicta videtur a significatione verbi ירה *spargere*, rariore, atque ex tribus modo locis pagina praecedente enotata, *pluere, pluvia rigare.* Caeterum ea est pluvia, quae autumno cadit, πρώϊμος seu prima inde dicta, quod annus Hebraeorum a septimo mense, Octobri circiter nostro, incipit, in quo illa prima est. Cadit illa, sub finem Octobris, perque Novembrem et Decembrem, (quo mense ejusque die 25 memoratur Joh. X, 25.) per totam enim aestatem non pluit, ad Septembrem usque, quo per paucos aliquando dies aridum solum pluvia recreatur. Vide *Georgii Friderici Walch*, et *Joannis Gottlieb Buhle*, calendaria Palaestinae oeconomica, sub his quos dixi mensibus. Pluviam serotinam i. e. vernam, quaere sub מלקשׁ.

1059.

1059. מוֹרֶה idem.

מוֹרֶה idem significare, quod praecedens יוֹרֶה, ex Joel. II, 23. certum, nec dubitans illis accedo, qui Pf. LXXXIV, 7. eadem significatione accipiunt, גַּם בְּרָכוֹת יַעְטֶה מוֹרֶה *etiam benedictiones dat autumnalis pluvia.* Unum tamen monendum: poni hic nomen videri, non de pluvia sub finem Octobris incipiente, sed ea, quae per aliquot Septembris dies effusa, prima arentis terrae sitim restinguit. Vide ea quae ante dixi calendaria oeconomica, et maxime *Russels natural history of Aleppo.* Rationes ita sentiendi in propatulo: describitur solemnis ad festum aliquod profectio, et vero autumnale: post finem Octobris, quo ὑετὸς πρώϊμος effundi incipiebat, ante Maccabaeorum tempora nullum populo Israelitico festum, nullum ex lege Mosaica: tabernaculorum festum decimo quinto die Octobris incipiebat, ante illud pluviam non novimus praeter illam, quam dixi per aliquot Septembris dies.

1060. יָרַה ex varia lectione Jef. XLIV, 8.

Jef. XLIV, 8. duo codices Kennicotti, 244, 392, quos ad seculum XIII refert, אל תירהו exhibent, ut sit a rad. יָרַה: habent eam Arabes, ورَهَ *prae metu attonitus fuit:* apta sic filo orationis prodibit sententia, *ne metuite*, sed fortiore dicta verbo. Nec tamen ideo lectionem praefero, vide enim, infra sub רהה dicenda, aut si jam malis, scripta in biblioth. Or. Adpend. Tomi XIV. p. 144. 145.

1061. יריחו.

Quae in bibliotheca Orientali prima T. XIV. Adpend. p. 5. 6. suspicatus sum, Jef. XV, 5. pro בריחיה legendum esse, בריחה, atque Hierichunti urbi et nomen ריחה fuisse, ut apud Arabes ريحي, ea abdico, postquam melior se mihi textus consveti interpretatio obtulit,

lit, in nova bibliotheca Orient. T. I. p. 163. data: *fugitivi ejus* (Moabitidis) *Soaram usque, ut oestro furentia armenta.* Vide lexicon infra sub שלישה.

1062. ירט *praeceps, periculosa est*, via. Num. XXII, 32.

Bis occurrere creditur, Num, XXII, 32. Job. XVI, 11. quamquam posterius (ירטני) mihi potius ad רטה referendum videtur. Ergo jam de solo agamus, כי ירט הדרך לפני Numer. XXII, 32.

Expedita omnia, modo non conjicias, sed ex usu Arabum significationem petas. وَرَّطَ in secunda est, *praecipitem dedit*, *exitio dedit*, fac idem verbum in prima وَرِطَ, ex analogia linguae erit, *praeceps ruit*, *exitialis*, *periculosus fuit:* nomen etiam inde وَرْطَةٌ *praecipitium*, *exitium.* Ergo vix dubitans vertes: *praeceps i. e. periculosa est via coram me*, video tibi ingens periculum imminere, ut tutius tibi sit, in via non pergere. Unus adeo veterum hoc expressit, linguae Arabicae usu prope coactus, Arabs Polyglottus, i. e. Saadias, harmonice in quinta conjugatione ejusdem verbi vertens, تَوَرَّطَتْ الطَّرِيق *praeceps*, *periculosa*, *perniciosa est via.* Mirum, vel hic coecutire potuisse latinum, qui Arabica in polyglottis reddebat, interpretem, ac vertere, nullo omnino linguae Arabicae usu aut exemplo, *occlusa est via coram me.* Atqui quinta conjugatio ex legibus Arabum passiva secundae, unde reddi debebat, *exitialis*, *periculosa*, *praeceps est*, sed hoc, nescio unde arreptum, *occlusa est*, in ipsum adeo Castelli lexicon Arabicum, solo exemplo ejus ipsius, de quo quaeritur, loci firmatum, irrepsit. Nempe ex versione latina versionum Orientalium lexicon aliquando conficiebat vir, quem vel errantem non possum non venerari, innumeris veris paucos errores redimentem.

Sed jam et alios audiamus, primum adeo locum dantes receptae in pleraque lexica notioni

1) *declinavit* (declinat a recto via tua). Sic quidem Arabs Erpenii, مال الطريق, ac forte eodem referenda Vulgata, *perversa est via tua et mihi contraria*, (hoc posterius pro Hebraico לנגדי posito). In librum radicum recepit Kimchius, שטה vertens: ex illo habet Reuchlinus. Hinc in pleraque lexica manavit. Non inepta, fateor, conjectura, sed nullo orientalium linguarum usu firmata, nec praeter conjecturam quidquam.

2) Huic conjecturae plane contrarium habet Syrus ܡܛܠ ܕܬܪܝܨܐ ܐܘܪܚܟ ܠܘܩܒܠܝ, *quia recta* (*e diametro*) *via tua est contra me.* Et hoc conjecturale, nec ad seriem orationis ineptius, quam prius. Vides, quam verisimiliter ludi conjectura possit, quid valeat alea!

3) LXX. οὐκ ἀστεία ἡ ὁδός σου ἐνώπιόν μου.

4) Chald. גלי קדמי *manifestum est coram me*, nempe, sic interpretatur לנגדי, *quod tu in animo habeas ire mihi in contrarium.*

Hae jam merae conjecturae, altera altera nec melior nec deterior, sed jam ad aegrorum somnia deveniendum,

5) Thalmudicorum. Haec quidem Raschii malim quam meis verbis exponere, et vero ex Breithaupti versione sumtis, ne quam hominibus, injuriam facere videri possim: *Rabbini nostri, sapientes Mischnae,* ירט *allegorice interpretantur per notaricum, ita ut singulae literae significent singula verba, hoc modo:* יראה, *i. e. timuit,* ראתה i. e. *vidit,* נטתה i. e. *deflexit* (asina), *quoniam via est contra me, quasi diceret, ad aemulationem et irritationem mei.*

6) Addit idem deinde suam explicationem, de verbo ירט sibi ignoto ex alio רטט conjiciens, ut sit, trepidavit, atque adhuc aliam aliorum mere conjecturalem,

7)

7) ירט significare רצון *beneplacitum*. Plura si quis cupiat ex ipso petat. Indoctarum enim et audacium conjecturarum jam pigere incipit.

Quam verbo in pentateucho dedi significatio, eadem et Jobi loco, XVI, 11. ועל ידי רשעים ירטני egregie apta, *et per manus injustorum praecipitem me dat.* Sic fere Schultensius, nisi quod etymologiae, ut solet, exprimendae studiosus, vertit, *ad manus importunorum in barathrum dejecit me:* nempe quia وَرْطَة *praecipitium*, ex speciali aliquo usu vocabuli a Golio etiam exponitur, *puteus*, *et lutum in quod demersae oves vix emergunt.* Addit et Camusum testem: *lutum recens et densum, in quod incidunt oves absque ut eripi possint.* Caussam tamen nullam video cur haec specialis significatio luti, in quod oves incidunt, inque eo pereunt, ad Jobi locum transferenda: sed haec artificiosa nimis amabat Schultensius. – – Ego vero malim, cum sine Jod radicali scribatur, (וירטני, non ויירטני) ad radicem רטה referre, quam suo loco vide.

1063. ירע Jes. XV, 4. *timidus fuit.*

Ἅπαξ λεγόμενον ut mihi videtur, reliqua enim, quae ad hanc radicem referunt lexicographi, ut וַיֵּרַע לוֹ et similia, non video cur non potius ad radicem רוע deriventur. Ex hac tamen utriusque verbi confusione ortum, ut ירע plerique, *malus fuit*, interpretentur, nulla orientalium linguarum duce, sed sola adliteratione: nec veterum quisquam praeivit. Ex his quidem Syrus, Vulg. Chald. in *clamandi* et *vociferandi* significationem consentiunt, ut idem sit quod הֵרִיעַ ac nomen תרועה; nec tamen vel eam usu linguarum firmari video (*): LXX,

(*) Vide tamen notam ad 1 Macc. IV, 40. sed et videbis, vel ibi conjecturam mihi subnatam, a memet ipso repudiari.

LXX, aliter legentes, ידעה (ἡ ψυχὴ αὐτῆς γνώσεται) nullarum ſunt partium.

Arabia quidem, ſi vel lexicon Golii evolvere lubuiſſet, lucem ἅπαξ λεγομένῳ adferebat, cui et ورع, et يرع cum multis derivatis, eſt, *timidus*, *pavidus fuit:* verte, *timida* vel *puſillanimis eſt anima ipſius ipſi.*

Hoc quidem verbum et ad *modeſtiae* ac *verecundiae* ſignificationem transferunt, unde eſt in ſecunda, *cohibuit*, *repreſſit*, *repulit*, inque quarta, أورع بين *disjunxit*, *interſtitium fecit:* explicant per حجز, quod inprimis de cortinis adſpectum in gynaecea prohibentibus, deque velis muliebribus, faciem velantibus poni meminerimus. Hinc nomen accepiſſe videntur,

1064. יריעות *cortinae*,

nempe quod vela tabernaculorum curioſos oculos arcent, quam indicaſſe ſufficiat. Habent nomen Syri Chaldaeique cum Hebraeis commune, ܝܪܝܥܬܐ et יְרִיעָא, non habent Arabes.

1065. ישב *caſtra poſuit*, *in ſtatione fuit*, *ſtetit.*

Praeter notam ſedendi ſignificationem, aliae inde ortae notandae:

1) Num. XIV, 25. 45. 1 Sam. XIII, 16. eſt, *caſtra habere*, fere ut Latini ſuum, *conſidere*, ponunt, Arabes eodem modo قعد *conſedit.*

2) Forte et hinc natum, aut ad id quod tertio loco ponemus referendum, quod et de *ſtatione* militum in muro ponitur, ut 2 Reg. XVIII, 27. Jeſ. XXXVI, 12. האנשים הישבים על החומה *viri excubias agentes in muro.*

3) 1 Reg. XXI, 9. 10. 12. 13. הושיב vix eſſe poteſt, *ſedere facere*, nec enim teſtes, aut capitis adcuſatus, in judicio ſedere ſolent, ſed latiore uſu, *ſtare.* Sic aliquando ܝܬܒ Syriacum poni

ni videtur, in Aſſemani biblioth. Or. T. I. p. 407. *Abbas mortuum inclamavit*, ܦܠܢ ܩܘܡ *tu N. N. ſurge! ille autem ſtatim audita voce* ܐܙܕܩܦ ܘܩܡ ܠܘܩܒܠܗ *erexit ſe, ſtetitque coram illo.* Fuerunt, qui et *ſaliendi* ſignificationem ex Arabico وثب verbo adſtruxerunt, eſtque ea eximie apta Jeſaiae loco, LVIII, 12. משובב נתיבות לשבת *reparans vias*, non, ad ſedendum, ſed, *ad ſaliendum*, tales faciens, ut ſaltare in illis et currere poſſis. Mihi quoque ante plures annos id placuiſſe, auditores forte meminerint: ſed poſtea ſuſpicari coepi, vertendum, *reſtituens ruinarum tumulos ad habitandum.* Vide infra ſub נתיב dicenda: quae ſi diſplicuerint, hanc quartam Arabicam ſaliendi, ſubſultim currendi, notionem verbo ישב addes.

1066. תּוּשִׁיָּה, ישׁה *medicina*, *ſolatium*, *auxilium.*

תושיה recentiorum plerique ad יֵשׁ relatum, *eſſentiam*, *ſubſtantiam*, *realitatem* vertere ſolent, quod neſcio quomodo mihi diſplicet. Ipſum יש, nomen, quod paraphraſtice pro EST ponitur, ne novimus quidem quid proprie ſignificet, nec placent in linguis ejusmodi etyma metaphyſica nimis a vulgari ſenſu remota, philoſophi in ſcholis ejusmodi vocabula condunt, non plebs: denique veteres hanc ſignificationem praeiviſſe non memini, eſtque quibusdam ex duodecim locis in quibus תושיה legitur, minus apta.

Equidem malim ad وشي Arabum, ipſum ſe offerens, (Hebraice ישה ſcriberes,) referre. Eſt id quidem, ut jam notatum lexicographis, origine idem quod أسا pro أسو, *mederi*, Chald. אַסִּי Syr. ܐܣܐ, unde et *Eſſeni* medicinam aut facientes aut mentientes, dicti: verbum Samaritani quoque et Habeſſini habent. Hoc ipſum verbum أسا et أسي eſt et *ſolari*, idemque ſignificat وأسي Arabum: hinc תושיה et *medicina*, et, *ſolatium.* Expende loca, quibus occurrit, et vide, aptane ſit illis notio: Jeſ. XXVIII, 29. *magnum facit* (rebus

 bus

bus adverſis, de quibus antea actum) *ſolatium*, aut, ſi malis, medelam. Praeiverunt ibi, aliquid de ſuo addentes, LXX. Ματαίαν παράκλησιν, Hieronymusque in commentario, *nequaquam vanam, ut a LXX additum eſt, ſed omnino* CONSOLATIONEM: Aquila et Symmachus, σωτηρίαν, i. e. medelam ([1]). — — Mich. VI, 9. (mutatis vocalibus, quarum rationem in bibliotheca Or. T. XX. pag. 178. reddidi) תּוּשִׁיָּה יִרְאֶה שְׁמֶךָ *ſolatium* adparet *nomen tuum*, ipſum tuum nomen ſolatio eſt: ubi et LXX σώσει habent, et Vulgata *ſalutem* ([2]). — — Prov. II, 7. ſapientia virtutis ſtudioſo in theſauris recondit, תּוּשִׁיָּה, *ſanitatem*: nempe longaevitatem et ſanitatem corporis, ut naturale praemium virtutis, promittere Salomon ſolet. Sic et LXX σωτηρίαν, indeque Vulg. *ſalutem* ([3]). — — III, 21. praecepta ſapientiae תּוּשִׁיָּה וּמְזִמָּה dicuntur, *medicina et aſtutia*, aut, ſi malis, *ars* ([4]). — — XVIII, 1. mihi eſt, *ſanatio*, i. e. *reſtauratio amicitiae*, aliquo diſſidio tanquam vulneratae. Arabibus verbum أسى hac ipſa ſignificatione translata uſitatum, explicante Golio, *ſanavit vulnus*, *discordiam compoſuit*, *pacem fecit* ([5]). — —

Ad

([1]) Mere conjecturalia, quae ibi habent, valde inter ſe diſſidentes, Chald. *ſapientia*, Vulg. *juſtitia*, Theodotion, ἰσχὺς, Syrus ܬܪܒܝܬܐ, *foenus* terrae: de realitate nemo eorum ſomniavit.

([2]) מַלְפַיָּא *doctores*, Chaldaeus, et Syrus ܡܘܠܦܢܐ *doctrinam*. Hoc unde?

([3]) Chald. שִׁבְהוֹר *gloriam*, habet, Syrus ܣܒܪܐ *ſpem*.

([4]) Hic quidem plane aliter veteres, forte aliter legentes, nec tamen *realitatis* commentitiae recentiorum quidquam habentes: LXX τὴν ἐμὴν βουλὴν, et, Syrus ܡܘܠܦܢܝ *doctrinam meam*, ac ſi ſine He in ſuffixum primae perſonae י deſinens legiſſent: Chald. מַדְּעָא *ſcientiam*, Vulg. *legem*.

([5]) Syrus iterum ܡܘܠܦܢܐ *doctrinam*, Chald. מַלְכְּבָא *conſilium*, habent:

Ad Jobi loca, fexies nomen habentis, antequam accedam, monendum cenfeo, a medicina et folatio auxilium quoque Arabibus dici, inque decima أستوسي effe, *auxilium rogavit.* Jam lege, Job. VI, 13. *folatium aufugit a me*, aut fi malis, *auxilium*, quod in praecedente membro auxilii nomen praeceffit: אין עזרתי בי ותושיה נדחה ממני. Sic LXX. *βοήθεια*, Syrusque ܦܘܪܩܢܐ *liberatio a malis* (6). — — XI, 6. philofophiae divinae arcana *duplum funt ad folatium*, i. e. plusquam fufficiunt folandis miferis, medicinaeque omnium malorum (7). — — XII, 16. עמו עז ותושיה *apud ipfum eft durities*, (i. e. duriter nos tractat) *et folatium*, feu, ut XVII codices habent, עוז, *apud illum eft perfugium et auxilium* (8) — — XXVI, 3. *folatium copiofe indicafti*, (ironice dictum) (9) — — XXX, 22. dubia lectio, Keri et Cthib, habent tamen et hic *σωτηρίαν*, *falutem*, *auxilium* LXX. — — Primum autem locum Jobi, V, 12. huc fervavi, quod forte alia ei aut aptior aut aeque apta notio: לא תעשינה ידיהם תושיה poffis vertere, *nec praeftant auxilium manus ipforum;* fed et dubitare hoc inter et, *ftabile*, *firmum*. Arabibus quidem, أسيّة *columna*, *fulcimentum*, indeque et *columen*, *praefidium*, forte ipfo auxilio inde dicto, idque cognatum videri poffit cum אשיוה, أسيس *fundamentum* p. 140. LXX hic quidem *ἀληθές*, Syrus et Chaldaeus, ut faepe alias *fapientiam*, Vulgata, nefcio unde, *quod coeperant*.

Id

habent: LXX et Vulg. nefcio quid fpectantes, *ἐν παντὶ καιρῷ*, *omni tempore*. Aliter legiffe videntur.

(6) Vulg. *neceffarii mei*, forte ex conjectura: Chald. חכמתא *fapientia*

(7) Chaldaeus et Syrus hic *fapientiam* vertunt, Vulgata, *legem*.

(8) Hic quoque Chald. Syr. Vulg. *fapientiam* habent, *robur* (*ἰσχὺν*) LXX.

(9) LXX *δύναμις*, Vulg. *prudentia*, Chald. חוכמתא Syr. ܚܟܡܬܐ

Id quidem liquebit, ſpero, lectoribus, ſignificationes quas ex lingua ſumſi Arabica, veteribus non incognitas, non plane novas eſſe, at quam lexicographi metaphyſico acumine excogitarunt *realitatem*, nemini veterum ne per ſomnium quidem in mentem veniſſe.

1067. יֶשַׁח *dyſenteria* Mich. VI, 14.

Ἅπαξ λεγόμενον valde obſcurum *humiliationem* vertit Vulgata, magiſtro forte, quo uſus eſt Hieronymus, ignotum vocabulum cum שחח conferente, idque in lexicon recepit Reuchlinus; Kimchius quoque הַכְנָעָה *humiliationem* vertit: non mirum hanc verſionem his proditam auctoribus, multa lexica invaſiſſe. Magnopere tamen diſplicet, non ſolum, quod ex ſola adliteratione conjiciendo exſtitit, ſed et quod phraſis perquam inepta, *humiliatio tua eſt in medio tui*, maxime, ubi praecedit, *comedes*, *ſed non ſatiaberis*.

Ergo novum quid tentavit Simonis, trajectione literarum felici retulit ad Arabicum وحش, in 4ta *fame exinanitus*, *famelicus fuit*, in 5. *inani ventre fuit prae fame*. Veri ſimiliter ſane, et ad ſeriem orationis apte, *inania ſunt omnia in medio tui*, i. e. in ventre tuo. Plaudo, nec tamen reticere velim, hac trajectione forte opus non eſſe, cum ipſam, eadem literarum ſerie, radicem habeat Arabia.

Eſt nempe وَسِخَ *ſordidus*, *ſpurcus fuit*, et وَسَخٌ ſordes, cum verbum, tum nomen, in verſione bibliorum Arabica frequens, cujus exempla collegit Caſtellus: unde eum conſuli quam Golium malim. Id unum adhuc ex eo enoto, de purulento vulnere, ulceribusque poni. *Ulcera in medio tui*, morbi erunt purulenti inteſtinorum, idque jam ex veteribus praeiverunt, Chald. *erit tibi* (cibus) *in viſceribus tuis* לְמַרְע *in morbum*, et Syrus, *erit in medio tui* ܚܫܘܢܐ *dyſenteria*. Deſcriptio magnae famis, ubi male ſanis cibis, acerbis fructibus, ventrem implent, unde morbi viſcerum, dyſenteriae. Hoc jam praeferre

ferre videor. Proximi mihi ex lexicographis aliqui, *corruptionem* vertentes, ſed nec auctoritate linguae Arabicae, nec explicatione addita.

LXX aut legentes, aut cum deſperarent ignotum vocabulum, conjicientes, יחשך, verterunt, *καὶ σκοτάσει ἐν σοι, caligabit in te*; obſcura ſententia.

1068. ישחק, *Iſaac*, in deteriorem partem poſitum?

Nomen Iſaaci, יצחק et ישחק, a riſu matris ductum, notiſſimum; ipſo Moſe etymon ejusque rationem prodentē, Geneſ. XVIII, 11–15. XXI, 6. At notandus ſingularis ejus uſus Amos VII, 9. *exſcindentur* במות ישחק *excelſa Iſaaci, et ſanctuaria Iſraelis vaſtabuntur*, et v. 16. *ne vaticinare contra Iſraelem, nec oracula funde* על בית ישחק *contra domum* (templum) *Iſaaci*. Primo his ſolis duobus locis populus Iſraeliticus, qui alias ſaepe Iſraël et Jacob, a remotiore progenitore, quem adeo cum Edomitis communem habet, *Iſaac* adpellatur: deinde vix dubium, quin inſolentius nomen cum aliqua ad etymon alluſione, ſed contumelioſe inque malam partem acceptum ponatur, RIDICULUS, quod ridiculum idolum colerent Iſaacidae. Praeiverunt jam ex antiquis v. 9. LXX *βωμοὶ τοῦ γέλωτος*, exque illis Arabs هياكل الصحق, Syrus, ܦܘܚܐ ܕܓܘܚܟܐ Vulg. *excelſa idoli*, verſuque 16. Vulg. *ſuper domum idoli*, cui verſioni adſcripſit Hieronymus: *pro domo idoli in Hebraico ſcriptum eſt BETHISAAC, i. e. domus riſus, quod LXX transtulerunt domum Jacobi, nomen pro altero nomine et non re intelligentes*. Hi quidem Iſaaci nomine ipſum idolum intellexerunt, ut Judaeorum aliqui Geneſ. XXI, 9. צחק accipiunt de puerili imaginum formatione, idque ad formationem idolorum transferunt: mihi ignominioſe et oblique poſitum eſt populi, ab Iſaaco progeniti, ridiculis ſuperſtitionibus cultuique idolorum addicti.

1069. יָשַׁם *desertus*, *vastus fuit*, יְשִׁימוֹן *desertum*.

Ortum videtur ex notiore שׁמם. Soli Syri habent, sed Jud pro Aleph scripto, ܐܝܫܝܡܘܢ desertum, quod et ponere pro ישימון solent. Vide verſ. Syriacam Deut. XXXII, 10. Pſ. LXVIII, 8. Jeſ. XLIII, 19.

1070. ישם Geneſ. L, 26. Jud. XII, 3.

Bis occurrit, idemque putatur cum שׂום *ponere*, niſi quod primo loco paſſive, *pôni*, eſſe volunt: nulla tamen linguarum ſororiarum hanc ſub his literis notionem habente.

1) Geneſ. L, 26. וַיִּישֶׂם *et poſitus eſt in arca*. Manifeſtum exemplum ſignificationis, lectio ſi certa: at Samaritani codices, et decem aut plures Judaici ויושם habent, quod eſt Hophal a שׂום.

2) Jud. XII, 3. Cthib, ואישמה נפשי בכפי. Incertum et hoc exemplum, ob Keri, quod et in textu ut Cthib habent LXXII codices Kennicottiani, ואשימה. Poſſit etiam ipſius Cthib alia dari explicatio ex Arabico وسم *ſignavit*, aut وشم *pinxit*, maxime in manu, ubi illi nota inuritur: *inſcripſi manui meae vitam meam*, ſed diſplicet, totamque radicem, non niſi ex dubiis exemplis adlatam, abdico.

1071. הושיע, ישע

הושיע verbum in Hiphil notiſſimum, *opem tulit*, *ſalvavit*, in Kal non occurrit, licet nomina habeamus יֶשַׁע et ישועה ex Kal orta. Primam notionem, quam in Kal habuit, ex Arabica lingua prodidit Schultenſius in Originum libr. I. praeliminaris diſſertationis §. 26. ſeqq. وسع *amplus fuit*. Anguſtiae et rebus arctis oppoſitum, hinc הושיע et opem ferre, tanquam, dilatare, ex anguſtia educere, ſed et latius cum verbum tum nomen de rerum amplitudine et felicitate ponitur.

Ex

Ex derivatis, יְשׁוּעָה et תְּשׁוּעָה, ſalus, quorum illud ad radicem ישע, hoc ad שׁוע pertinet, veri videtur ſimile, conſonantium verborum permutatione pro ישׁע et שׁוע dici potuiſſe, quo obſervato deinceps in nominibus propriis, ab hoc verbo ortis, utemur. Sitne et ex prima ſignificatione שׁוע quodammodo aequipollens, *laxus*, *amplus fuit*, hic non eſt inquirendi locus. Vide שׁוע infra ſub שׁ.

Caeterum et notemus phraſes, quarum altera ad ea, quae ſequentur, derivata opus habebimus:

1) de deo dictum, הושׁע לו, *opem huic vel illi tulit*, id vero ubi de bello ſermo, idem ac, *victoriam dedit*, pia phraſi, quae omnia ad Deum et providentiam refert. Sic fere Cromwellus in literis ad ſupremum Angliae ſenatum (*the great Parliament*) datis, ubi victoriam inſignem nuntiat, ſatis habet ſcribere, ſe cum hoſtibus congreſſum eſſe, et addere, *and the Lord was with us*, *et dominus erat nobiscum*. Huc et referendum, quod LXX 1 Sam. XIV, 47. pro ירשׁיע aut legerunt, aut conjecerunt, יוֹשָׁע, ἐσώζετο, *quocunque ſe vertit*, *vincebat*. Nullus tamen ita codicum hucusque conſultorum.

2) *Opem ipſi tulit brachium*, *vel manus ipſius*, in malam partem ponitur, de *vindicta privata illicita*, 1 Sam. XXV, 26. (הושׁע ידך לך) 31. (להושׁיע אדני לו) 33. (הושׁע ידי לי) eſtque valde in opprobrio; ſed, ut ſaepe ſunt magnarum rerum honeſtarum et illicitarum nomina communia, indeque ipſa audacia in laudando fortiora, in laudem fortitudinis, Jeſ. LXIII, 5. ותושׁע לי זרעי, ubi ſtatim explicatur per, וחמתי היא סמכתני.

Participium Niphal, נוֹשָׁע, quod nulla varietate lectionis Zacharias de rege Sionis (Meſſia) ponit, c. IX, 9. male, ac contra grammaticam, active vertunt *ſalvatorem*, LXX. Vulg. Syr. Chaldaeus. Ego

malim, *adjutum a deo*, i. e. *victoriosum* intelligere, sed sine praelio victorem, (ob filum orationis) *justum* (צדיק), *cujus justam caussam Deus sine omni juvat adparatu bellico.* Maluissem fateor, כרשע, *justus* (innocens) *et damnatus*, quod Christo quidem egregie conveniret, sed nullus nec codex nec interpres conjecturae suffragatur.

1072. יְשׁוּעָה et תְּשׁוּעָה.

Ex verbi, quam diximus, significatione et haec fluxit nominis specialior, magnopere notanda, Germanis maxime, ne obsoletum ac biblicum, jam reviirescens, *Heil*, male ponant, ubi nullus illi locus esse potest, VICTORIA. Nemo non eam intelliget 2 Reg. V, 1. ubi Naeman dux est exercitus, regi carissimus, *quod per eum Deus Syris dabat* ישועה *victoriam*, ubi non placet Lutheri, *denn durch ihn gab der Herr Heil in Syrien.* Vide et 1 Sam. XIV, 45.

Ex hac notione insigniora aliqua loca phrasesque, lucem accipiunt, ut Jes. XXVI, 1. *urbs munita est nobis*, ישועה ישית חמה וחל *victorias illi dedit* (Deus) *murum et fossam*, i. e. non muris tuta est, (portae adeo nunquam claudi dicuntur v. 2.) sed victoriis similiterque LX, 18. *vocabo muros tuos, victoriam.* Habac. III, 8. מרכבותיך ישועה *currus tui sunt victoria*, i. e. invicti, semper victoria illos praecedit. Hic iterum quis ferat haec germanica, *deine Wagen sind Heil.* Sensit, qui alias voce *Heil* nimium abusus, Lutherus, ac pro suo insigni ingenio hic a me post 250 annos notata occupavit, ac verissime posuit, *da deine Wagen den Sieg behielten*, pulcra tamen et audaci figura poëtae neglecta. Hinc et קרן ישועה Ps. XVIII, 3. non *cornu salutis*, hoc enim quid est? nec *cornu copiae*, Hebraeis ignotum, sed, *cornu victoriae* i. e. *cornu victoriosum*, eadem imago, quae Deut. XXXIII, 17. instituitur. Vide eandem phrasin in Graecismum etiam novi foederis receptam Luc. I, 69.

1073. יֶשַׁע et ישועה ſenſu forenſi, *juſtitia.*

Eſt ubi ישע ac ſemel ישועה per ſeriem orationis idem eſſe videntur quod צדקה *juſtitia,* ſenſu forenſi, *abſolutio a crimine.* Pſ. CXXXII, petentibus v. 9. Israelitis, כהניך ילבשו צדק, *ſacerdotes tui induantur juſtitia*, Deus v. 16. reſpondet, כהניה אלביש ישע: Jeſ. LXI, 10. quae in priore membro בגדי ישע, in poſteriore ſunt, מעיל צדקה *pallium juſtitiae*, iterumque c. LXII, 1. ישועה et צדק ſibi reſpondent. Haec quidem forenſis notio forte ipſa oppoſitum *anguſtiae* (צרה) indeque orta, quod abſolutus ex carcere et cuſtodia dimittitur. Vide Jeſ. LIII, 8. ſed locum dubiae interpretationis.

Veſtes *juſtitiae* et *abſolutionis*, quae Jeſ. LXI, 10. et Pſ. CXXXII, 16. memorantur, veſtes ſunt ſplendidiores, (Caftan et Kalaa jam orientales dicunt) quae adcuſato ſed plenarie abſoluto, non cuivis quidem de plebe, ſed viro primario, ſtatusque adminiſtro, a regibus Aſiae dari ſolent, ſummam honoris et gratiae regiae ſignificationem habentes. Vide 1 Maccab. X, 61–64. ibique notata, et Zachar. III, 3.

1074. הוֹשַׁעְנָה

Palmarum ramos, feſto tempore geſtatos, Judaeos הושענה vocaſſe, ex loco Pſ. CXVIII, 25. quem cantare illo tempore ſolebant, breviter dictum a Buxtorfio in lexico Thalmudico-Rabbinico, copioſiusque a Relando diſputatum in diſſertationibus de nummis veterum Hebraeorum p. 60 ſeq. quod ſi Rabbinici modo aut Thalmudici Hebraismi eſſet, nihil ad nos: at videtur jam in textu Hebraico primi Maccabaeorum libri lectum nomen fuiſſe, c. XIII, 51. ubi LXX βαΐων habent, Syrus, qui ex Hebraico interpretatus eſt, ipſiſſimum nomen ܐܘܫܥܢܐ.

1075. הוֹשֵׁעַ *Hoseas.*

Ob nomen *Jesu*, a ישע ortum, atque cum explicatione grammatica, tum aliis quibusdam obſervationibus omnino dignum, eſt ante illud de nominibus agendum, quae cum eo aut idem ſunt, aut putantur.

Primum quidem ex his הוֹשֵׁעַ, quinque virorum proprium fuit: 1) *Joſuae*, imperatoris Israelitarum, antequam novum, *Joſua*, nomen adipiſceretur, Num. XIII, 8. 16. quo ex ipſo loco et ſequitur, ut utrumque nomen diverſum ſit, non, idem: 2) *regis Israelitarum* 2 Reg. XV, 30. XVII, 1. 3) prophetae Hoſ. I, 1. 4) *Ephraimitae cujusdam* Azaziae filii 1 Paral. XXVII, 20. 5) alius ſerioris, de quo praeterea nil novimus, Nehem. X, 24. Significatio ejus eſt, ſive, *juvit*, ſive, *vicit:* boni ominis cauſſa inditum. Hoc quidem noli cum nomine Ἰησοῦς conferre: primo enim Ἰησοῦς, ישוע, cum יהושע unum idemque fuiſſe, infra docebimus, a quo הושע diverſum; deinde a Graecis interpretibus aliis plane literis exprimi ſolet, Ὡσηέ, ὡσή, et Num. XIII, 9. 17. αὐσή. Nec quidem ſum immemor, Deut. XXXII, 44. in Graecis bibliis Ἰησοῦς legi, ubi in Hebraicis הושע habemus, verum id ſine dubio variae eſt lectionis, Samaritani enim codices, et XII Hebraici, יהושע habent. Tales codices ſequuti LXX.

1076. יְהוֹשֻׁעַ *Joſuas*, Ἰησοῦς.

Nomen, primo Joſuae duci Israelitarum, qui antea Hoſeas fuerat, a Moſe inditum, Num. XIII, 16. His quidem cum literis ſcribatur, יהושע, ſuſpicari poſſis, eſſe futurum Hiphil ſervato He characteriſtico conjugationis, in honorem forte Jehovae, ut ejus quodammodo nomen literae יהו ſimulent, adpellandumque יְהוֹשֻׁעַ, aut, ſi malis יְהוֹשֵׁעַ, ſive adeo יְהוֹשִׁעַ, quorum ſane, ſi optione inter haec opus eſſet, ultimum probarem. At plane aliter is, qui puncta literis ſub-

ſubjecit, יְהוֹשֻׁעַ, quod quidem ad alteram radicem שׁוּע pertinet, compoſitum ex יְהוֹ Jehova, et שׁוּעַ *ſalus, victoria*, fere ut יהוה כסי, יהוה יהושפט שלום. Punctorum hic auctoritatem vocari in dubium poſſe, intelligo: ergo expendi, ſed haec ſe mihi offerunt, pro illis facientia.

1) Verſiones antiquae, diu ante puncta maſorethica factae, U habentes, ut, Latina, *Joſua*, et Graeca, Ἰησοῦς.

2) quod plene, in impreſſis adeo, cum Vau יְהוֹשׁוּעַ legitur, Deuteron. III, 21. Judic. II, 7. Aliis quidem et locis nonnunquam in codicibus manuſcriptis idem reperias, ut Joſ. I, 1. &c. nec tamen, fateor, in multis.

3) Quod יֵשׁוּעַ, ut infra videbimus idem cum hoc nomine, exque eo ortum, plene cum Vau ſcribitur.

Eſt hoc, ut dixi, nomen Joſuae, magni Iſraelitarum imperatoris, ſed et cognomines ei ſunt, 2) Joſua Bethſemita, 1 Sam. VI, 14. 15. 3) praefectus aliquis urbis, 2 Reg. XXIII, 8. 4) ſummus ſacerdos Zach. III, 1.

1077. יֵשׁוּעַ *Jeſus*, Ἰησοῦς.

De hoc quidem nomine ante omnia notandum, non illud ſoli Jeſu Chriſto proprium, ſed valde Judaeis uſitatum fuiſſe, ex quo et conſequitur, ut magnopere errent, qui in eo *divinam* Chriſti naturam, *divinum* ſoſpitatorem inveniſſe ſibi viſi ſunt. Simonis quidem, Onomaſtici ſacri p. 520. in tabulis priſci foederis ſeptem invenit homines, יֵשׁוּעַ dictos, 1) Joſuam imperatorem, Neh. VIII, 17. 2) ſummum pontificem, Ezr. II, 2. &c. 3) alium ſacerdotem, 4. 5. 6) tres Levitas 7) patrem Ezeri cujusdam: praetereaque urbem, Neh. XI, 26. Evolve et indicem editionis Joſephi Havercampianae, multos invenies alios hoc nomine dictos, ex quibus aliqui Jeſu Chriſto coaevi. His

vel

vel ex N. T. addere possis, ex veriore certe, ut mihi videtur, lectione, Ἰησοῦν Βαραββᾶν Matth. XXVII, 16. 17. et Act. XIII, 6. Βαριησοῦν: vide introductionem in N. T. §. 48. p. 299. tertiae editionis. Hinc et factum, ut Josephus Jesum nostrum ubi obiter mentionem ejus injicit, ab aliis distincturus cognomen addat, *Jesus dictus Christus*, ut Ant. XX, 9, 1. Jacobum vocans, ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ. Vide simile quid Matth. I, 16. Sic et Pilatus, ex ea lectione, quam veriorem mihi videri dixi, τίνα θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν, Ἰησοῦν Βαραββᾶν, ἢ Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν.

Duas de nomine Jesu, ejusque forma grammatica ac significatione dissertationes habemus, *Dantzii* alteram, alteram huic quodammodo oppositam, ejusque errores recte refellentem, *Chrysandri:* sed utramque parum frugi, et quas legisse poeniteat. Si quid ex aliis profeci, Simonis est, cujus onomastico non parum debeo, ingratusque mihi viderer, si nomen ejus subticerem.

De scriptione ambigi vix potest, mirorque, fuisse, qui ישועה aut nescio quomodo, omnes enim conquirere errores, jam piget, scribi voluerunt. In codice quidem prisci foederis Hebraico, cujus loca collegit Simonis, ישוע scribitur: sicque et Syriaca versio antiqua, cujus auctor hujus quidem nominis orthographiam ignorare orientalem ac veram haud poterat, ܝܫܘܥ scripsit. Ex his literis ortum et scomma Judaeorum, cum ipsum Jesum, tum christianos, Romanam maxime ecclesiam, (reliquas enim sunt qui excipiunt), Esavum et Edonum dicentium, indeque et vaticinia Jesaiae contra Idumaeos de Roma interpretantium, atque Ain suspensum Ps. LXXX, 14. in חזיר מיער, in Jesum (Esavum) suspensum trahentium. Nempe per literarum transpositionem, artificium exegeticum ipsis dignum, ex ישוע faciunt עשיו, sic enim, cum Jod superfluo, nomen עשו scribi potest, ut alia

alia in ו desinentia. Plura de hoc artificio, ad historiam nominis per Asiam facientia, infra.

Caeterum est et hoc notandum, nomen יֵשׁוּעַ non comparere in libris ante exsilium Babylonicum scriptis, sed in solis serioribus, Chronicorum, Ezrae ac Nehemiae; deinde, duobus in libris Ezrae et Nehemiae, nomen יהושע nuspiam legi, sed ejus loco יֵשׁוּעַ, ut, de Josua imperatore Nehem. VIII, 17. de Josua summo sacerdote, Ezr. II, 2. III, 2. Nehem. VII, 7. 39. XII, 1. 10. 26. quod eo pertinet, ut idem nomen utrumque esse videatur, sola contractione variatum. Videtur ergo nomen, perquam frequens, usu linguae sensim mutatum, ita ut יְהוֹשֻׁעַ fieret יֵשׁוּעַ. Nec quidem hic expedio, fueritne ipsum יהוה in יֵי contractum post reditum ab exsilio, (quod quidem contingere potuisset, cum et Judaei per compendium יי״ scribant) unum mihi sufficit, ex usu sensim mutatae linguae יהושע et ישוע idem nomen esse, unde et hoc explicandum reor, *Jehova salus*, non quasi is, qui ישוע dicebatur, ipse sit Jehova, sed ut supra p. 1177. diximus, tota sententia, *Jehova salus*, pro nomine sit. Nec Jesus nascens ipso nomine significabatur Jehova, quod nomen, quis ausus esset nato puero dare? quis non puerum Jehovam vocans lapidationem metuisset?

Formae illustrandae Simonis contulit nomen יֵהוּא, quod vult, idem esse ac, יהוה הוא. *Incertum*, et *incertis* superstructum punctis. Ergo contenti simus linguae mutatione, quae in nominibus propriis, saepe repetitis, successu temporis ac nimio eorum usu, maxima esse solet. Si quis tamen mihi exemplum attulerit, יהוה in JE mutati, gratus accipiam.

Male pro futuro verbi ישע nomen Jesu habuerunt non pauci. Verbum ישׁע Hebraeis in Kal non usitatum: quod si tamen futurum

ejus facere velis, ex analogia grammatica, ſine Vau et ſine U, aut יִישֻׁעַ ſcribendum erit, aut יֵשֻׁעַ, qua de re vide Chryſandri diſſertationem de nomine Jeſu, et noſtram, ſi edere concedat vita, grammaticam Hebraicam copioſiorem.

Magnas nomen per omnem pene Aſiam mutationes ſubiit, ſed omnes ex Judaica transpoſitione ac detorſione in עֵשָׂיו, vel עֵשָׂו ortas. Arabes, quos inter olim, atque adeo tempore Muhammedis, opibus ac potentia magnopere floruiſſe Judaeos conſtat, Ain primo loco poſito, عيسى, (*Iſa*) ſive adeo addito honorifico prophetae nomine, عيسى النبي (*Iſa propheta*) dicunt, idque et facit qui Jeſum in ſummo honore habet, ſcommatis Judaici, unde nomen ortum, ignarus, in Corano Muhammedes, omnium prophetarum maximum habens, judicemque mortuorum et viventium. Ab Arabibus ad Indos nomen tranſiit, ubi noſtri quoque eo miſſionarii utuntur, ad fidem chriſtianam Indos perducere annitentes. Mendaeis, i. e. diſcipulis Joannis, alio nomine Sabiis, Jeſus אשׁו eſt, ſeu potius עשׁו, eadem enim figura literas א et ע exprimunt. Vide *Norbergium de religione Sabaeorum*, exque illo in priore bibliotheca Orientali excerpta T. XVII. p. 59.

Et hoc adpendicis loco addendum. Praeter loca, in Simonis onomaſtico collecta, quibus nomen JESU in tabulis priſci foederis legitur, occurrere ut proprium, et vero ipſius Jeſu Chriſti, viſum eſt nonnullis nimis chriſtianis Habac. III, 13. לְיֵשַׁע אֶת מְשִׁיחֶךָ, ubi ſexta graeca verſio, *ἐξῆλθες σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν τὸν χριστόν σου*, quod et in commentario, aliter vertentes pene ut Judaizantes adcuſans, et Hebraica his literis, latine ſcribens, LAJESUA ETH MESSIACH, probat Hieronymus. Vix ignoſcas erudito viro, meliora qui non poterat non ſcire, quod talia ſtudio aliquo partium, ſeu,

ut

ut potius reor, laudis et placendi cupiditate ſcribebat: לישע ſine Vau in codicibus Hebraicis omnibus hucusque excuſſis legitur, nec ullam lectionis varietatem Hieronymus memorat: jam qui ſcribere poterat, in Hebraico eſſe LAIESUA? Nec verti ulla ratione poteſt, *ob Jeſum Chriſtum tuum*, quod inter utrumque nomen את intercedit, ab Hieronymo quoque latinis literis expreſſum, licet ejus in interpretatione rationem nullam habeat. Verum et aude textum corrigere, ac legere, לְיֵשׁוּעַ מְשִׁיחֶךָ, ne ſic quidem de Jeſu, ſalvatore noſtro, ſermo, cujus mentio a toto orationis filo aliena, ſed de Joſua imperatore, ejus enim victoriarum mentio, ſtantisque ſolis et lunae vixdum praeceſſerat, isque paulo inſolentius, *unctus dei*, i. e. dux ab eo conſtitutus dicetur.

1078. ישר 1 Reg. VI, 35. Habac. II, 4.

Frequentiſſimum Hebraeis verbum, ac de cujus ſignificatione in lexicis prodita nemo dubitaverit, licet Syriae et Aethiopiae omnino, Arabiae hac certe *recti*, et *plani* notione perierit, quam ſoli cum Hebraeis communem habent Chaldaei, ac, ſed quibus rariſſimum, nec niſi in derivato מישר ſuperſtes, verbum, Samaritani. Duo tamen ſunt loca de quibus ambigi poſſit, 1 Reg. VI, 35. מְיֻשָּׁר על המחקה, in quo Cocceji quidem partibus accedo, intelligoque de auro figuris (ſculpto) *adcurate* inducto, praeeuntibus LXX et Chaldaeo, et, qui multo obſcurior, alter, Habac. II, 4. לא ישרה נפשו בו, ſeu ut LXX habent לא ישרה נפשי בו. Hic quae dubitem, et vero de ipſa lectione, non jam hujus loci eſt repetere; ſufficiat ad bibliothecam orientalem priorem T. XXIII. p. 173-176. ablegare: unum excerpo, lectionem vulgatam לא ישרה נפשו בו, vertendam mihi videri, *non felix erit anima ipſius in ipſo*, ex Arabico يسر *felix fuit*. Nempe, licet verbum Arabibus in prima *recti* et *plani* notione, ut dixi, perie-

 rit,

rit, habet tamen inde derivatas: a plano dicunt, *facile*, inde et *res faciles*, i. e. *opulentiam prosperitatem*, يُسْرٌ, unde et eſt يَسَرِيّ felix, et in ſecunda يَسَّرَ *proſperavit.* Idem tamen verbum Arabicum et alias habet, primo adſpectu diverſiſſimas, ſed a ſtirpe cognatas ſignificationes, quas quidem expedire, non hujus lexici eſt, ſed Arabici.

Alteram lectionem כנפשי, a LXX ſic expreſſam, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, ex alia ejusdem verbi ſignificatione tentavi, a facilitate enim aut aequitate, et lenitas apud Arabes nomen accipit, يسر *lenis* fuit, يُسْرٌ *lenitas*, proprie, *non lenis*, i. e. benigna *erit anima mea illi:* ſed et faſſus ſum, nec mihi probari. De hoc utcunque ſentiant lectores, id quidem certum, LXX ſi ישרה, ut nos, legerunt, verbo notionem benevolentiae, amoris, delectationis tribuiſſe. Vide infra ſub ישרון dicenda. Quod alii contulerunt, ישר בעיני, *rectum fuit in oculis alicujus*, pro, *placuit*, prima ſpecie decipiens, plane repudiandum, totam enim phraſin et conſtructionem invertit; *non placet mihi*, dicendum fuiſſet לא ישר בעיני, aut ſi malis לא ישר בנפשי.

1079. ישרים Dan. XI, 17. *pax?*

Pro וישרים עמו ועשה Dan. XI, 17. (verbis hiſtoriae lucem vix ferentibus) LXX, Theodotio, Vulgata, forte et Syrus, exque codicibus Kennicottianis unus, 449, habent וישרים עמו יעשה, quod quidem veriſſime et hiſtoriae conſentanee verti poſſit, *ſed pacem cum eo faciet.* (Vide notas ad Danielem Germanicum.) Sic ישרים idem, quod v. 6. מישרים, quod pacem interpretari fere omnes ſolent, ſive a *complanando*, ſive omnino ab aequitate dictam. Praeiverunt mihi hoc loco ſententiam, LXX καὶ διαθήκας μετ' αὐτοῦ ποιήσεται, et, exprimendi etymi ſtudioſiores, Theodot. πάντα εὐθεῖα μετ' αὐτοῦ ποιήσει, Vulg. *et recta faciet omnia.*

1080. יִשְׂרָאֵל latiore ſenſu.

Solent duo regna a Jeroboamo inde et Rehabeamo *ita diſtingui*, ut alterum ſit יהודה, alterum decem tribuum, ישראל. Ita quidem in libris regum ſemper, inque paralipomenis plerumque. In his tamen non eadem conſtantia, ſed et ישראל aliquoties de tribu aut regno Judaico ponitur, ut 2 Paral. XII, 1. (nulla lectionis varietate, quod quidem ſemper repetendum, niſi lectionis varietatem indicavero) XII, 6. (uno tamen codice יהודה habente) XV, 17. XIX, 8. XXI, 2. (ſed XXIII codicibus יהודה habentibus) XXI, 4. XXIII, 2. XXIV, 5. 16. XXVIII, (*) 27. (uno tamen יהודה habente) XXXIII, 18. (uno codice in textu, alio in margine, יהודה habente). Junctim indicanda loca videbantur, ne in ſingulis aut emendationem tentes, aut aliquid reconditi hiſtorici, aut emphaſin quaeras. Serioris eſt, et quodammodo negligentioris Hebraismi poſt exſilium, ſublato utriusque regni diſcrimine Judaeos quoque Israelitas vocantis. Memini et in Ezrae libro me alicubi ישראל de Judaeis poſitum legere, ſed locum invenire, dum haec ſcribo, non poſſum.

1081. ישרון Deut. XXXII, 15. XXXIII, 5. 26. Jeſ. XLIV, 2.

Nomen Israelis, (populi) non niſi quatuor locis obvium, magna tamen lectionis varietate: in Moſe quippe ſat multi codices ישורון habent, pauciores ישורן, pauciſſimi ישרן; in Jeſaia, quinque ישורן, tres ישרן. Samaritanorum codicum nulla notatur varietas. Diverſas et multas de eo ſententias aut conjecturas exponere, longum; ſufficiat veteres hic excerpere, ac poſtea meam cum lectoribus communicare. Ergo

1) Sim-

(*) Omitto loca quae dubia nonnullis videri poſſint, XXVIII, 19. 26.

1) Simpliciter, ישראל, ܐܝܣܪܝܠ, ubique interpretantur Chaldaeus et Syrus, idemne, quod infra ut meam conjecturam ponam, sentientes, an nomen populi notius ponentes. Sic et Arabs Samaritanus a Durello editus اسرايل, Arabs Erpenii *Judaeorum* adeo nomine usus est, يهود et يهودي, male, multo quippe recentiore, quod ne interpres quidem Mosis scriptis intexere debuisset. Arabs etiam polygl. uno in loco, Deut. XXXIII, 26. اله اسرايل ليس كمثله *deus Israelis, non est ejus similis.* Sed

2) idem Arabs Polygl. Deut. XXXII, 15. XXXIII, 5. مَوْصُوف habet, quod me judice eodem redit. وصف est, *descripsit*, hinc موصوف *descriptus*, i. e. *antea nominatus*, Israel vel Jacob. In bibliis polyglottis latine vertitur, *laudatus*, recte quidem, si interpreti hoc idem est, quod, *antea memoratus:* sed vereor ne plerique, ipseque adeo Castellus, qui lexico Arabico موصوف *laudatus* intulit, de laudabili intellexerint.

3) LXX. ubique ἠγαπημένος, nec vero his solum locis, ubi ישרון legitur, sed et interpres psalmorum (reliquorum qui Hebraica graece reddere ausi sunt facile indoctissimus) שריון Ps. XXIX, 6. huc traxit, Hebraica ושרין כמו בן ראמים sic aut vertens aut distorquens, καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων. Nempe, ut p. 1182. adnotavimus, ישר Graecis interpretibus esse videbatur, *delectari aliqua re, amare.* Calculum adjicere illis nequeo, quod cur ita interpretati sint, ignoro. Vide et de ירדון, quod eodem fere modo interpretati, synonymum nostro habuisse videntur, scripta p. 1056.

4) Tres Graeci, in Jesaia certe, ac nisi fallor ubique, *rectum* verterunt, idque omnibus locis, primo excepto septuagintaviralis versionis sequaci, in vulgatam receptum. Hieronymus ad Jesaiae locum,

locum, *alio*, inquit, *nomine Israelem vocat*, *ISURUN enim verbum Hebraicum caeteri* εὐθύτατον *ſive* εὐθῆ, *i. e. rectiſſimum et rectum interpretati ſunt*, *ſoli LXX dilectiſſimum, jungentes de ſuo, Iſrael.* Eodem et referendus Samaritanus, כשירא vertens. Habet hoc multos veri aut veriſimilis numeros: poſſit populus Israeliticus a vero et recto quod de deo ſentit accepitque, RECTUS, dici, videturque Numer. XXIII, 10. תמות נפשי מות ישרים, egregie concinere.

Meam antequam aut ſententiam dicam, aut conjecturam promere auſim, monendum, terminationem וּן nominibus propriis frequentem eſſe, charitativam forte, ex diminutivis Syrorum in ܘܢ deſinentibus, ortam (*). Poſſit ergo nomen eſſe proprium, a ישר, RECTO vel IUSTO ortum; idque mihi ex illis, quae de hoc vocabulo dicta hucusque ſunt, veriſimillimum.

Suſpicor tamen, plane ex ישׂראל ut diminutivum et charitativum ortum eſſe, aliis punctis et per Sin יְשֹׂרוּן ſcribendum, pro יְשְׂרָאֵלוּן, ſolent quippe Orientales, creſcente per terminationem aut compoſitionem literarum numero unam alteramque abjicere, de quo plura in grammatica, ſi eam edere licuerit.

Et huic meae conjecturae, et explicationi veterum, quam ſub numero 4 poſui, contraria ſunt, fateor puncta, contrariae et conſonantes, ſi ישורון legas: ſed vocales non curo, receptam lectionem codicum plerorumque, et Samaritanorum omnium, ישרון, explico: de יְשֻׁרוּן, ut maſorethis punctare placuit, et varia lectione ישורון aut ישורן explicanda deſpero. Ad radicem שׁור qui retulerunt, puncta ſequuti ſunt, ſed ita dicentes veri diſſimilia, ut referre pigeat: apud ipſos legantur.

(*) Vide grammaticam noſtram Syriacam §. 60.

1082. יָתֵד

Paxilli ſignificatio, lexicis recepta, indubia, quam et firmat Arabicum وَتَد, *palus, paxillus, qui in terra vel pariete pangitur*, a وَتَّدَ *firmiter impingere.* Syri non habent.

Palam quod vertunt, Deuteron. XXIII, 14. cogente fere filo orationis, in eo conſentientem habent linguam Thalmudicam, cui יתד של מחרישה eſt, *vomer.* Vide Buxtorfii lexicon Thalm. pag. 997. Nempe ab infigendo et impingendo in terram, non *palus modo*, ſed et *pala* et *vomer* dici potuit. Etymo ſolo ex lingua Arabica noto, omnia clara.

Ex hoc etymo et lucet, vix ulla alia arte adhibita, phraſis יתד במקום נאמן, non ſimpliciter, paxillus, ſed potius, *paxillus firmiter adactus in loco ſtabili*, Jeſ. XXII, 23. 25. et Ezr. IX, 8. *dedit nobis Dominus* יתד במקום קדשו, ubi ne paxillum quidem, ſed *firmum ac ſtabile in loco ſancto ejus* verterim, ſuſpicatus adeo, aliis vocalibus ut verbum ſcribendum, יָתֵד *dedit nobis firmiter impactis eſſe, vel adhaerere loco ſancto ſuo, radices firmas agere in loco ſancto*, i. e. *terra ſancta.* LXX ibi, δοῦναι στήριγμα, liberque apocryphus, c. VIII, 75. καταλειφθῆναι ἡμῖν ῥίζαν καὶ ὄνομα, paraphraſtice, ſed bene.

Illuſtrandae phraſi in commentario ad Jeſ. XXII, 23. 25. ſed dubitans, contulit epiſcopus Londinenſium, Lowthus, Corani illud Sur. XXXVIII, 11. LXXXIX, 9. de Pharaone dictum, فرعون ذو الاوتاد *Pharao praeditus paxillis*, i. e. *multos habens ſub ſe nobiles.* Mihi quidem res dubia, locusque illis, quibus illuſtrandis adhibetur, multo obſcurior. Ipſe jam monuit Lowthus, aliter interpretari Salium, addiderim et, Marraccium; ac forte neutrarum partium ſim, ſed tertiarum, ſi mihi Coranus interpretandus eſſet, aut lexicon ſcribendum Arabicum. Eximie apta, modo probari poſſet, *principis* notio loco Zacha-

Zachariae X, 4. *ex illo* (Juda) *erit lapis angularis, ex illo princeps.* Sed jam videndum, quomodo ea abdicata ei consulamus. Nihil, quod satisfaciat, habent veteres, *paxillum*, Syrus et Vulgata, minime, ut puto, aptum, sed quem Hieronymo teste Judaei de *sacerdotio* interpretabantur Maccabaeorum, quod Eljacinum Jes. XXII sacerdotem fuisse putarent. *Messiam* non tam vertit quam interpretatus est Chaldaeus. LXX pro verbo habentes cum פנה tum יתד, verterunt, ἐξ αὐτοῦ ἐπέβλεψε, ἐξ αὐτοῦ ἔταξε. Mihi quidem potius ex etymo hic esse videtur, *firmiter adactum*, i. e. firmum et solidum fundamentum, *ex illo lapis angularis, ex illo firmum fundamentum.*

1083. יָתַם (Ps. XIX, 14. *remansit*).

Notissimum יָתוֹם *orphanus*, quod quibus figuris orationis pro omni etiam derelicto, auxiliique inope, ponatur, interpretibus relinquere tractandum malim. Lexicographo id unum notandum, Arabibus non solum esse, *unicus et solitarius fuit*, quod possit forte ad figuratam significationem referri, sed et, ut habet Golius, *torpuit, remissus, lassus, lentus, tardusque fuit*, unde et يَتْم *tarditas ingressu.* Forte haec notionum series, 1) *tardus fuit* 2) *remansit* 3) *solitarius fuit* 4) *orphanus remansit.*

Verbum semel ex consveta lectione occurrit Ps. XIX, 14. *remanendi*, ut putem, notione, illi loco aptissima: *a proaereticis peccatis serva servum, tuum*, אָז אֵיתָם *tunc remanebo et innocens ero a defectione magna*, i. e. a sceleribus enormibus. Peccata proaeretica via tanquam et scala sunt, cui insistens ad enormia etiam delicta et scelera praeceps ruet: ab his servatur, qui nunquam proaeretice peccare sustinet, conscientiae servus. Vide versionem et notas germanicas.

Ad radicem תמם prope omnes referre video, nec recentiores modo, sed et veteres, LXX ἄμωμος ἔσομαι, Vulg. et Hieronymum,

immaculatus ero, Chald. אהי בלא מום, et, quem loco Syriacae verſionis hic hiantis, pono, Arabem Antiochenam, اكون بلا عيب. Invita hi vero grammatica, et ex mera conjectura יתם idem putantes cum תמים, ſi modo vera eſt lectio, (quinque enim codices Kennicottiani ſine Jod אתם habent,) nec bono ſenſu: identicum quid ſonat, *ſerva me a peccatis proaereticis*, *tunc ſine labe ero.* Sed ſuo quisque guſtu ac ſenſu utatur.

1084. יָתַן *perpetuus*, *perennis*, *irriguus ſemper fuit.* Proverb. XII, 12. XIII, 15.

Ad radicem יתן, in lexicis omiſſam, nomen אֵיתָן retulit Schultenſius in Originum libro primo, cap. 8. atque adeo ante illum, pater meus, in diſſertatione anno 1706 edita, ſub titulo, *hiſtoria linguae Arabicae* §. 29. Schultenſium plerique, quibus eum legere contigit, ſequuti. Mihi vero ipſa adeo radix, ſeu, ut latine dicam, verbum, bis occurrere videtur, Proverb. XII, 12. XIII, 15. ita tamen, ut a vocalibus maſoretharum ſit recedendum.

Eſt quidem Arabibus وتن ut et Golius habet, et paulo ex lexicis mſcr. Arabum expoſuit copioſius Schultenſius, *perpetuus*, *perennis fuit*, maxime de *rivo perenni* uſitatum, unde et venam cordis, tanquam, *perenniter fluentem rivum*, واتن dicunt. Jam lege Prov. XII, 12. ſed demtis punctis maſorethicis, quae יִתֵּן habent, a radice נתן, *laudat injuſtus venationem malorum* (delictorum, aut infortuniorum alienorum) ſed *radix juſtorum* יתן! — — jam, hic quid expeditius, quam, ſive, *perenni fonte rigatur*, ſive, quod malim, *perenni fructu exuberat*, *ſemper fructus effert.* Eximium attulit Schultenſius, plane de noſtro loco non cogitans, ſignificationis exemplum §. 3. ejus quod dixi capitis, ex Divan Hudeil: *velut gravidae palmarum*, *irriguae*, *quas exornat onus dactylorum*, وهو الواتن الركد *idque*

quae perenne ac stabile. Vides et de fructu arborum spem non fallente poni! Id unum addiderim, LXX quoque, Arabem, et Chaldaeum, sed in interpretando a me valde dissidentes, ad יתן, *firmitatis* notione acceptum, retulisse, *αἱ ῥίζαι τῶν εὐσεβῶν ἐν ὀχυρώματι*, *radices justorum sunt in munitione*, i. e. firmiter munitae sunt, Ar. في صيانة, Chald. נתקיים *stabilis erit.* Perennitatis certe et stabilitatis notionem vides ab illis sumtam.

Proverb. XIII, 15. cum allusione ad אֵיתָן, ponitur, hoc quidem ut mihi videtur sensu: *prudentia benevola* (prudentia benevolentiae juncta,) יִתֵּן חֵן *perennis est gratia, sed via perfidorum* אֵיתָן *lacuna perennis*, de quo vide deinceps. Quod puncta habent masorethica, יִתֶּן חֵן *dat gratiam*, nullam habet, nec oppositionem, nec rationem, ad alterum hemistichium.

1085. אֵיתָן *rivus perennis, fluxus maris, lacuna perennis in via, vena cordis.*

Jam dixi, cui in hoc nomine explicando multum debeamus, Schultensio, in Originum illud libro I. c. 8 tractanti: a quo tamen in locis etiam primariis, ut, Genes. XLIX, 23. dissentire liceat, atque alias addere notiones, specialiores etiam, ad quas animum non attendit. Ergo meas jam scribere, non illius sententias existimari velim, nec semper opus habere, quid Schultensius senserit, repetere.

Id quidem generatim certum ex eo sumo, איתן, a radice יתן, esse, *perenne*, et vero proprie, *perenniter fluens*, ut Arabibus. Hinc est,

1) *fluvius, vel rivus, perennis, per totum annum fluens*, illis oppositus, qui per aestatem, ac maxime vero post eam, Octobri mense, deficiunt. Sic non dubitans acceperis Deut. XXI, 4. ubi vitula piacularis pro caede ab ignoto commissa mactatur, *super*

נחל איתן *rivo perenni*, addito, *qui non colitur, nec feritur*, i. e. qui nunquam ita exficcatur, ut aliquo anni tempore coli poffit; forte et hoc addendum, in quo nunquam reftagnare coacto, oryza feminatur. Nempe impurum fanguinem hoftiae pro caede ignoti oblatae afportet rivus, nec quidquam ejus in terra haereat, aut frugibus, quas effert. De ritu ipfo vide juris Mofaici Tomum VI. §. 278. p. 55-57. Eodem etiam non dubitans retulerim Job. XII, 19. (ubi veteres, artificiofores illi, LXX quidem, δυνάστας, Vulg. *optimates*, Syrus, ܚܣܝܢܐ *fortes*, verterunt, incertum, utrum ad אתן quod fuo loco vide, an ad יתן ftabilis fuit, referentes:) Pf. LXXIV, 15. נהרות איתן *flumina perennia* Amos V, 24. נחל איתן.

2) Prov. XIII, 15. via injufti איתן dicitur, i. e. *perpetuis fcatebris humida, lacuna perennis, paluftris.*

3) Exod. XIV, 17. de mari Erythraeo pofitum, *fluxus* quem dicimus, ac refluxui opponimus, alio nomine, *aeftus maris*, eft: nempe fluere et refluere finum Arabicum, olim verifimile, nunc poft Niebuhrii iter certum.

4) Genef. XLIX, 23. *venam cordis* intellexerim, ex Arabico, وتين idem fignificante, unde et denominativum وَتَنَ *laefit in vena cordis*, mutatisque punctis, וַתֵּשֶׁב באיתן קשתו verterim, *ferit* (proprie, adhaeret) *venam cordis arcus ejus.* Vide infra fub נשב dicenda. Meis certe auribus non probatur, quod hic habet Schultenfius, *permanfit in perenni arcus ejus, vigorem obtinuit fuum, non elanguit.*

5) גוי איתן Jerem. V, 15. de Chaldaeis pofitum, quid fignificet, aut ad quam fit radicem referendum, dubitari poffit. Vocabulo איתן *duritiei* et *roboris* notionem multi multis in locis dederunt, quam

habere

habere omnino poteſt, ad radicem אתן relatum, ut ſit proprie, *ſaxeum:* ſic quidem hoc loco acceperunt Chaldaeus, עם תקיף, Syrusque ܥܡܐ ܥܫܝܢܐ, *populum fortem*, vel, *validum*, Vulg. *gentem robuſtam.* LXX plane omiſerunt; at eos ſupplens ex Hebraico Origenes, ἔθνος ἀρχαῖον, vertit, eique conſentiens Hieronymus, in commentario: "*gentem robuſtam*] *pro quo in Hebraeo ſcriptum* „*eſt*, *ETHAN*, *gentem antiquam.*" Hoc quidem filo orationis convenientius, in altero enim verſus membro legitur, גוי מעולם הוא, *gens ex priſco tempore eſt.* Poſſit quidem איתן id ſine dubio ſignificare, ſive ſimpliciter, *perennem ac perpetuum*, vertas, ſive figurate accipias, antiquumque populum comparari dicas *fluvio perenni*, opponi *torrentibus ex imbribus collectis*, quales ſunt nuper demum victoriis aut rapinis inclareſcentes, cum ignoti antea fuiſſent, populi.

1086. ירח איתנים *menſis perennium*, i. e. *October.*

Hoc nomine ſeptimus Hebraeorum menſis, noſtro Octobri (*) fere reſpondens, (nempe ut lunaris conferri ſolari poteſt) 1 Reg. VIII, 2. vocatur. Nomen inde ortum, quod Octobri rivi non perennes, omnes deficiunt, quique illo fluunt, perennes ſunt. Vel in noſtra id obſervare poſſis Germania in rivis non perennibus: ipſe quidem in vicinia Goettingae rivum (**), ſpumantem hibernis menſibus ac fervidum, Junio, Julio, Auguſto adhuc fluentem, aliquot annis ſiccioribus verſus finem Septembris, et Octobri menſe deficere vidi, ac plane exareſcere, Novembri iterum erupturum. Nempe aeſtate rariores pluviae. In Palaeſtina quidem, ſtatas magis tempeſtates habente, meſſis

(*) Vide *commentationem de menſibus Hebraeorum* p. 41. 42.

(**) *Die Luther*, Whendam inter et Goettingam.

messis tempore, quae in Majum Juniumque incidit, pluere, tonare, fulgurare, miraculo est, 1 Sam. XII, 16. 17. Julio Augustoque magis etiam sudum coelum, Septembri per aliquot dies pluere solet, sed haec paucorum dierum pluvia non ita alte in terram descendit, ut rivos, quos aestas destituerat, siccaveratque, alere ac recreare possit. Novembri mense pluvium tempus incipit, cujus consequens est, ut emortui rivi reviviscant. Exemplum habe vallem Palaestinae proximam, Faran, alias valde irriguam, sed quam Septembri jam mense arentem invenit Niebuhr, p. 402. descriptionis Arabiae.

1087. יֶתֶר

Reliquum, et, *funem*, *nervum*, *chordam*, nomen significare notum, quas et significationes reliquae habent linguae orientales. Aramaeum, יְתַר, ܝܬܰܪ *superfuit*, *abundavit*, pervulgatum; sed et وَتَرٌ ac ܝܬܪܳܐ, *nervus*, *chorda*. Verisimile, utramque notionem a tensione ductam: ab extendendo, funes, ab extendendo etiam id, quod superest, plusque est quam antea habebas, dici potuerit. Addit tertium notionis genus Arabia, cui وِتْرٌ *malevolentia est*, et *vindictae cupido*. Hoc unde? utrum a tensione fortiore? an tensione arcus? an denique, quod *reliquus*, *relictus*, i. e. superstes occiso, sanguinis ultor est, alio verbo ثَائِر (שאר) reliquus dictus? Haec etymologica dubito, non definio.

Unus difficilior locus, de quo non tam sententiam dicere, quam dubitanda proponere, atque interrogare velim, Proverb. XVII, 7. *non decet stultum labium* יתר, *quanto minus nobilem magistratum labium mendacii.* Diffident valde interpretes, in quibus Chaldaeum harmonice יתריתא vertentem, ne numero quidem, est enim hoc Hebraico aeque obscurum aut ambiguum, inque plures sententias ductile

1) *Ver-*

1) *Verba composita*, i. e. nisi fallor, elegantia, ab excellentia et praestantia dicta, vertit Vulgata.

2) LXX. *χείλη πιστά*, exque illis Syrus, ܣܦܘܬܐ ܡܗܝܡܢܬܐ, *labia fida*, quod quomodo ex Hebraico יֶתֶר effici possit, non assequor.

Displicet utrumque, de vitio enim sermo, vel stulti ore indigno.

3) Equidem mallem, *labia superflui*, interpretari, *labia paulo plus quam verum est*, *dicentia*, *jactantiam verborum*, sicque in versione germanica expressi, *dem Narren läst es nicht wohl*, *wenn er vergrössert.*

4) Idem sensisse videtur Schultensius, sed ea addens etymologica, quae paucis, praeter ejus discipulos, placuerint: *labium nervi*, quod in notis sic interpretatur: *labium nervi*, *et vero vibrantis*, *qualis est arcus valide tensi. Ex tensa hac vibratione*, *vel vibrantia per metonymiam accrevit*, *praestantia*, *excellentia*, *ut ad cap. II, 21. insinuatum. Exquisitissima liguratio*, "*labium nervi*," *quod nervosum quendam vigorem praefert*, *magna*, *quin magnifica resonans*,

cornua quod, *vincatque tubas.*

atque virtutis et sapientiae vigorem crepet. Haec legisse sufficit, etymologicis nebulis obscurata. Equidem, si ad יֶתֶר *nervum arcus* referre placeret phrasin, mallem verba insidiosa, tela quasi sparsa intelligere: verum sic דברי יתר *verba nervi*, dicendum fuisset, non שפתי יתר *labia nervi.*

5) Mihi quidem haec omnia, cum aliena, tum mea dubitanti, nec certi quidquam reperienti, in mentem venit Arabici وتر *malevolentia.* Suntne *labia malevolentiae?* hac sententia, *ne stultus quidem placet*, *malevole de aliis loquens?*

1088. יְתוּר Job. XXXIX, 8.

Ex plerorumque ſententia, verbum eſt, *explorat montes*, *paſcuum ſuum*, i. e. montes ubi paſcatur; ſic ex veteribus LXX. Vulg. Syrus: at aliis nomen, ut jam olim Syro, et ei, qui puncta vocalia יְתוּר adſcripſit, verbum enim, ut jam dudum monuit Mercerus, Schultenſio citatus, יָתוּר ſcribendum fuiſſet. Ergo et dicendum, quid יְתוּר nomen, filo orationis aptum ſignificare poſſit, qua in quaeſtione hoc unum moleſtum, quod copia verſionum probabilium obruimur.

Schultenſius quidem in commentario adfert, qui ad radicem יתר retulerunt, Clericum, *abundantiam montium*, et Codurcum, *ſuperfluum montium*, i. e. *herbam, quae non ſecatur*, *ſed neglecta per montes deperit*, vertentes. Utrumque eodem redit, eſtque valde expeditum. Ipſe tamen Schultenſius, cui artificioſa praeplacent, quae grandia vocare ſolet, a תור *explorare*, *circumluſtrationem montium vertit*, herbas intelligens luſtrando undique conquiſitas. Haec quidem ille.

Syrus, ab eo praetermiſſus, *multitudinem montium*, i. e. *multos montes* intellexit, in quibus onagri pabulum quaerant: ܒܣܘܓܐܐ ܕܛܘܪ̈ܐ ܢܒܩܐ ܪܥܝܗ, exque eo Arabs, في كثرة الجبال مرعاه. Hic quidem Clerici et Cadurci verſionem praetulerim antiquae, quam plane meam facerem, niſi Arabia alia offerret, prope veriſimiliora.

En ejus copias. A, *ſuperfuit*, Arabibus وتر *ſeparatum* quoque et *ſegregatum* ſignificat, poſſint ergo eſſe, *ſecreta* et *ſegregata montium*, quin et وتيرة *viam ſignificat monti adjacentem*, ipſosque adeo *tumulos*, ut, *ſepulcrales*, quod nempe ſoli in campo tanquam aliquae conſpiciuntur inſulae. Hoc, *ſecreta* et *ſejuncta montium*, meis quidem auribus placet, unde et in verſionem germanicam recepi, certi tamen et explorati nihil habens, ſed ex veriſimilibus unum, aurium tanquam ſorte, eligens.

1089.

1089. כאה, *tristis*, *pusillanimis fuit*, *increpuit*. Ezech. XIII, 22. Ps. CIX, 16. Proverb. XV, 13. XVII, 22. XVIII, 14. Job. XXX, 8. Dan. XI, 30. (Ps. X, 14?)

Rarius verbum, in quo caveamus ab erratis aut conjecturis lexicographorum. Primo enim aliqui ad illud referre solent נְכָאִים Jes. XVI, 7. quod sine dubio radicis est נכא, atque נְכֵאָה, Proverb. XV, 13. XVII, 22. XVIII, 14. quod ex vocalibus certe non ad כאה sed נכא referendum: deinde ex confusione cum נכה, *frangere*, *conterere*, vertunt, nullo linguarum sororiarum usu. Primi quidem ab hoc peccato immunes, (laudabo infra Reuchlinum multo meliorem recentioribus) sed sensim conjecturis et alliterationibus subsedit, quae altius tolli credebatur, res philologica et lexica. Stockius et Simonis, *attrivit*, vertunt, Coccejus, paulo verisimilius cum כהה conferens, *hebetare*, addens, *est proprie*, *adimere alacritatem*, *retundere*. Ferrem, si ut conjectura promeretur, nec poneretur ut certum. His quidem, similibusque, consultis, dubius haerebis, quid sit כאה; nihil enim argumenti adferri ex cognatis linguis vides, sed conjecturas.

Duplicem vero illud in sororiis dialectis significationem habet, intransitivam *moeroris*, *timoris*, *pusillanimitatis*, et transitivam *increpandi*, illam apud Arabes sub كَآءَ et كَيِئَ, hanc Syris frequentissimam sub ܟܐܐ.

Jam ad Hebraicam haec linguam transferamus. Ezech. XIII, 22. הכאות לב צדיק erit, *contristare cor justi* idque jam in lexico habebat Reuchlinus, (*pro eo quod moerere fecistis cor justi*) ipseque propheta eo nos deducere videtur, addens, אשר לא הכאבתיו *quem dolore adficere nolui*. Eodem modo vertendum נכאי לבב Ps. CIX, 16. *tristem corde*, praeeuntibus Syro, (ܘܡܟܐܒ ܠܒܗ) Chaldaeoque, (מַכִּיךְ). Qua a phrasi pergens ad simillimam, vix dum ex tri-

bus Proverbiorum locis memoratam, (XV, 13. XVII, 22. XVIII, 14.) malim et ibi, sed mutatis vocalibus, רוּחַ נְכֵאָה, *animam; moestam* vertere.

Dan. XI, 30. ubi de territo legatione Romana Antiocho, omnique excedere Aegypto jusso, ponitur וְנִכְאָה, ex altera Arabica notione verterim, *pusillanimis fiet, timebit.* Proximus a mea sententia Theodotio, ταπεινωθήσεται. Male Vulgata, eadem quam in aliis notavi, antiqua jam confusione verborum כאה et נכה, *percutietur,* pejusque etiam Syrus, historiaeque contrarie, ܢܒܐܫ ܘܢܙܟܘܢܝܗ et vincent illum. — — Syriacam hic *increpandi* significationem recentiorum non pauci arripuerunt, praeeuntibus jam, quos illi legere non potuerant, LXX, καὶ ἐμβριμήσονται αὐτῷ: sed prius mihi et videtur expeditius, et rei gestae convenientius.

At ex eadem transitiva increpandi notione, explicare ausim, mutatis tamen vocalibus, Job. XXX, 8. נִכְּאוּ מִן הארץ, *qui convicio severoque imperio ex terra exturbabantur,* i. e. quos, ut fures, excedere quisque agris villisque jubebat. Vide biblioth. orient. priorem T. VIII. p. 204. 205.

Haec quidem aut certa aut valde verisimilia: maxime dubium adjicio psalmi X, 14. חיל כאים, quod si divisis vocibus legas, verti posse, *exercitus timidorum*, seu, *desperantium*, jam supra pag. 772 dictum.

1090. כאר Ps. XXII, 17.

Pro כארי qui כָּאֲרוּ legerint Ps. XXII, 17. in bibliothecae Orientalis prioris Tomo XI. p. 215-218 dictum, quibus jam ex Kennicotto addi possunt, quinque codices, Frobeniana editio 1516, Polyglotta Complutensia, psalteriumque Potkenii. Ergo verbum, in insigni loco certe ex varia lectione obvium, non debebat in lexicis omitti, maxi-

maxime cum jam de eo disputasset Bochartus hieroz. P. I. p. 780. veris tamen falsa admiscens, ut, Arabicum مُكَوَّر quod plane huc non pertinebat, sed ad radicem כור. Recte vero monuit, Syris ܟܐܘܪܐ *tetricum*, *foedum* significare, (vide Castelli lex. p. 1663. 1703) idque exemplo confirmaverim, apud Ephraemum ad Jes. XXV, 5. invento, ܥܢܢܐ ܟܐܘܪܐ *nubes tetrica.* Idem esse verbum videtur, permutatione literae ע et א Aramaeis paulo quam Hebraeis frequentiore, Chaldaicum כַּעַר *foedare*, *inquinare*, et כעור, *turpe*, *foedum*, quod disces ex Buxtorfio p. 1069. 1070. Addiderim his et aliud, turpem quidem alicujus errorem, sed ex quo adparet, כער Chaldaeis, *nigrum*, fuisse. Excerpsi illum in bibliotheca Or. T. XXI. p. 135. Hebraeus, quisquis ille fuerit, Chaldaicorum Danielis capitum, a Kennicotto primum, deinde a Schultzio editus, כעור Dan. II, 30. vertit, שְׁחוֹרִים *nigros.*

His quidem sumtis lectionem כארו ידי ורגלי verisimillime vertes, *foedarunt*, i. e. *foedis vulneribus adfecerunt*, vel etiam, *denigrarunt*, i. e. *cruentarunt*, (cruoris enim color in nigrum vertitur) *manus pedesque meos.* Rarius verbum utcunque, vel aliqua figurae audacia, interpretandum. Ex veteribus quidem, qui כארו legisse videntur, habent, Aquila, ᾔσχυναν, *deturparunt*, *foedarunt*, Syrus ܒܙܥܘ *vulnerarunt*, Chaldaeus, *momorderunt.*

Veram lectionem כארו existimo: haec quidem sunt, quae de verbo כאר colligere potui, sive a Bocharto mutua, sive illis addita; quibus si quis plura addat et luculentiora, magnam ei gratiam habebo.

1091. כָּבֵד *jecur*, *fel.*

כָּבֵד *jecur*, a gravitate, ut videtur, dictum, lexica habent omnia, sed alia omitti solet significatio, *fellis*, ex jecore exsistentis. Sic qui-

 dem

dem non dubitans accipio Thren. II, 11. נִשְׁפַּךְ לָאָרֶץ כְּבֵדִי *effusum est humi fel meum*, jecur enim humi effundi nequit, estque absurdum dictu, *jecur meum effunditur humi*, *ob vulnus filiae populi mei*. Quid sit, *fel effunditur humi*, de eo vide notas versioni germanicae adjectas: *vomitus ex vehementiore adfectu, terroris, aut doloris ortus*, *ubi fel evomitur*. Res medicis non ignota, sed quam quisque cui vomitus fellis accidit, gustu quoque experitur, amaritudinem prodente, ac, si inspiciat, colore.

Est et ubi, mutatis punctis, pro כָּבֹד legendum, כָּבֵד, *jecur* existimem, ut Jes. X, 16. De peste Assyriis immissa sermo esse videtur, pergiturque, (sed alias vocales adscribam) &c. וְתַחַת כְּבֵדוֹ יֵקַד *et sub jecore*, (aut, si malis) *felle ejus exardescet*, *ut incendium ignis*. Pestilentium morborum haud paucorum sedes jecur et fel ex medicorum disciplina. Nec equidem in naturam illius pestis inquisiverim, quae Assyrios perdidit, quod a philologo nemo exegerit, cum ipsis medicis pestis proprie dicta, i. e. ex Aegypto adventitia, multas non solum facies, sed et sedes atque origines habere videatur. Id unum sufficiat, pestilentis morbi descriptionem esse poeticam, ex aliqua medicinae peritia sumtam. Quod vulgo legitur, כְּבֹדוֹ, *sub gloria ejus flamma ardebit*, *ut flamma ignis*, mihi quidem haud se adprobavit. Aliis si magis probetur, haec, quae scripsi, inducant, mihique relinquant. Ne quid meae sententiae furari videar, non dissimulo, XXXIII. codices Kennicottianos, quibus editionem addo Stephani anni 1539, et Nisselii, כבודו cum Vau legere, cui lectioni mea interpretatio aptari nequit.

Genes. XLIX, 6. כבדי *ἥπατά μου* interpretatos LXX esse, notum, quibus licet non adsentiar, est tamen eorum sententia explicanda. Verba sunt, *ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρίσαι τὰ ἥπατά μου*, *in*

in societate illorum ne litiget jecur meum: pro תחד videntur per Resch legisse, תחר, plane ut Samaritanus, sed masculino hic genere, יחר, proprie, *ne exardescat jecur meum*, idque de ira, pugnaeque et vindictae cupiditate accepisse. Phrasin simillimam habent Syri, ܒܡܪܪܬܐ ܡܪܝܪܬܐ *felle amaro*, i. e. *iracunde*, *crudeliter*: vide chrestomath. Syriacam pag. 21. *felle amaro occiderunt perdideruntque omnem populum Christianorum.* Bona explicatio, si lectio תחר כבדי vera, at hac cadente, nec כבד jecur erit, sed aut *cor*, aut pars hominis melior, animus. Utramque lectionem aequa lance expendere, hujus loci non puto.

Est tamen et de genere nominis כָּבֵד *jecur* dicendum, atque aliquod nimis fidenter scriptum, retractandum. Lexica illi masculinum dare genus solent, et recte quidem, at LXX, et qui eos probarunt sequutique sunt, si תחר legerunt, feminine construxerunt. Hoc quidem illorum explicationi opposueram in *collegio critico in Ps. XVI.* p. 177. cumque Schaafius Syriacum ܟܒܕܐ suo in lexico fecisset femininum, dubio id fieri, incertaeque lectionis exemplo, dixi. Hoc quidem vere, sed aliud reperi certius, in ipsa mea chrestomathia Syriaca loco vixdum citato. Ergo כבד potuerit quidem generis communis esse. Plura in grammatica.

1092. כבוד, *anima*, *gloria Dei.*

Animam, partem hominis meliorem, Genes. XLIX, 6. Ps. VII, 6. XVI, 9. XXX, 13. LVII, 9. כבוד dici, atque adeo primo ex his, loco per constructionem ad sensum feminine poni, satis vulgatum: de quo, et de LXX. in psalmo decimo sexto, *linguam*, vertentibus, si quis plura cupiat inveniet in collegio critico in psalmum XVI. p. 163-179. Id unum ex copiosius ibi dictis enoto, forte non ideo sic dici,

quod ſit pars *melior*, ſed proprie כבור hic eſſe *cor*, Arabibus كَبِد dictum, a quibus et hoc in linguam medicorum noſtrorum fluxit, ut *nobiles partes* corporis dicant humani, quarum prima et nobiliſſima cor eſt. Primus ad hanc mihi conjecturam viam monſtravit parallelismus membrorum Pſ. XVI, 9. שמח לבי ויגל כבודי.

Ipſe Deus, ubi in nube, aut igne, oculis adparens, כבוד יהוה vocatur, δόξα Κυρίου Graecis, forte hoc ipſum non ad gloriae ſplendorisque notionem referendum, ſed ad hanc quam dixi, *cordis*, ut *cor dei*, ſit *ipſe Deus*. Plura ejusmodi ex nominibus factitia pronomina pro, IPSE, linguae habent orientales: vide e. g. grammaticam Syriacam §. 91. p. 215. Arabicamque §. 66. p. 213. Ut, *faciem*, *os*, aliaque, pro *ipſo* ponunt, ſic et poſuerint, *cor*. Egregie hac ſumta notione luceret illud Moſis Exod. XXXIII, 18. הראני נא את כבדך *videre me fac TE IPSUM*, quod fieri poſſe, dum vivat, negat Deus. Splendidam nubem, Dei imaginem, Schechinam, dudum viderat Moſes, nec opus habebat, hunc adſpectum ſibi expetere, neque fuiſſet cur Deus negaret, quod toties ultro obtulerat: at *ipſum* Deum, *Dei*, ut Arabs loqueretur, *ſubſtantiam*, mortalium videre nemo poteſt. Forte et huc per Hebraismum referendum Rom. I, 22. ubi idololatrae δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ mutaſſe idolis dicuntur: Schechinam illi nunquam habuerant, ſolorum Israelitarum oculis oblatam, ſed IPSUM verum Deum, qualis a ratione agnoſcitur. Dubitans haec ſcripſi.

1093. כָּבוּל 1 Reg. IX, 13.

Oppida viginti Galilaeae, quae Salomon Hiramo pro opera in aedificando templo tradidit, cum ut vile nimis pretium diſplicerent, Hiramus vocaſſe dicitur, ארץ כבול. Nomen ſine dubio adpellativum, atque aliquid obliquae ſignificationis habens, ſed quid ſignificet,

ut

ut plerumque in dicteriis, parum constat, jocos enim omnes et ironias linguae viventis quis post aliquot annorum millia assequatur?

Plerique vix quidquam, praeter alliterationes aut conjecturas habent, ut

1) LXX. ὅριον, *terminum*, interpretati, quasi idem esset, quod גבול. Placuit id Bocharto, copiosius de hoc nomine agenti in geogr. l. II. c. 4. Mihi suspectum. Caeterum aliquam nobis *Chabulonen*, regionem, et vicum χαβωλὼ, in vicinia Ptolemaidis ex Josepho ostendit, in qua nomen inditum haesisse existimat. Hoc quidem in dubiis relinquo, de solo jam etymo quaerens. Unum ex hoc etymo derivatum inque plura lexica receptum, ipsius adeo Castelli, errrorem geographicum, et vero mirum, indicandum arbitror, ארץ כבול esse Decapolin. Haec quidem, teste Plinio l. V, 16. urbes magnas et a Tyro valde remotas, Damascum, Philadelphiam, Raphanam, Scythopolim, Gadara, Hippon, Dion, Pellam, Galasam, Canatham complectebatur, quas a Salomone Hieramo concessas, Hieramoque vile donum visas fuisse, quis crediderit.

2) Arabs, nescio unde, *terram spinarum*, الشوك, habet.

3) Aliqui ex בול ortum putabant, *quasi germen*, de quibus, Hieronymique errore, vide Bochartum l. c.

4) Simonis, tanquam in laudem, *pignus amicitiae* dictas existimat, mutato ח in כ, pro חבול.

His quidem parum delectato, triplex se offert probabilius etymon, a כבל Arabibus, *constringere*, *ligare*, significante, unde et כֶּבֶל, كَبْل, ܟܒܠܐ *compes*:

5) Possit esse, *terra obstricta*, id est, *debita*, *ex debito data*

6) li-

6) ligare, inter alia est Arabibus, *retinere*, *sero solvere quod debebas*, possis ergo et vertere, *diu dilata solutio*, *sero solutum debitum*.

7) Josephus Phoenicum lingua Chabalon, *displicens*, significasse, auctor est, non gravissimus quidem, cum qua polluerit hujus linguae peritia, ignoremus: *μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ χαβαλὼν, κατὰ Φοινίκην γλῶτταν, οὐκ ἀρέσκων σημαίνει.* Ant. VIII, 5, 3. Ei si certa fides, omnia explorata, aptissimum enim rei, ut gesta traditur, nomen. Aliquas quidem suppetias fert Arabia, cui مُكَابَلَة ex Ibn Maruph auctoritate est, *recusare*, *renuere*, et ex Geuhari, *differre emtionem:* exempla tamen verbi ita positi, nec adferuntur, nec inveni. Possit forte a ligando, mora et dilatio emtionis, ab hac recusatio dicta esse.

1094. כבס *lavit vestes*, raro latius ponitur.

Observarunt dudum, non lexicographi quidem quantum memini, sed ex philologis eruditiores, כבס a רחץ ita differre, ut כבס *de vestium*, רחץ *de corporis lotione* ponatur. In Pentateucho quidem multis locis, quae concordantia dabit, cum vestis nomine constructum invenies, ut Levit. XIV, 9. כבס את בגדיו ורחץ את בשרו aut de lotione maculae vestium positum, ut Levit. XIII, 54. 55. 56. — — Nullo adjecto nomine ponitur Jerem. II, 22. אם תכבסי *si laveris nitro, multumque alcali impenderis*, sed vel ibi de lotione vestium accipiendum non solum ex usu reliquorum locorum, sed et ob id quod sequitur, *fulvescit culpa tua coram me:* vestium enim, non cutis, maculas nigras, quas abluere alcali nequit, in fulvum colorem vertit.

Duo tamen loca sunt ubi latius etiam poni videtur, Ps. LI, 9. ותכבסני *et ablue me*, quod nemo de lotione vestium, sed corporis aut animi acceperit, Jerem. IV, 14. כבסי מרעה לבך *ablue a malo cor tuum*, nulla lectionis varietate.

Caeter-

Caeterum est hoc Hebraicae linguae proprium verbum, reliquis periit. Plane non habent, Arabes, Syri, Samaritani, ac ne Chaldaei quidem, aliud substituentes, ut eo ipso quem vixdum citavi loco, ubi רחץ et כבס sibi opponuntur, Levit. XIV, 9. Chaldaeus, יצבע, Syrus ܢܣܚܠܐ, Sam. ירח, Arabs uterque يغسل.

כבר *Chaboras*, vide sub חבור num. 663.

1095. כַּבִּיר, *superbus*, *rebellis*.

Magni, et *multi* significatio nota, sed accedit et alia hinc orta, ex Arabismo illustranda: Arabibus كِبْر et كِبْرِيَآء non magnitudo solum est, sed et *superbia*, تَكَبَّرَ *extulit se*, *superbivit*, maximeque in decima conjugatione استكبر, in Corano de diabolo poni solitum, cum Adamum, ut jusserat Deus, adorare recusaret, quod illi apostasiae et rebellionis initium, (exempla non addo ob nimiam frequentiam) quin et latius patens, ac de omni superbe se et proaeretice verae religioni opponente usurpatum, ut Sur. XXXIV, 34. (al. 36.) انّهم اذا قيل لهم لا الّا الله يستكبرون *illi, cum dicebatur eis*, *non est deus praeter deum*, *superbiebant*, i. e. proaeretice rebelles veritati resistebant. Sic quidem et Hebraicum כביר acceperim, Job. VIII, 2. *halitus superbus sunt verba oris tui*, germanice, *wie lange sollen deine Worte ein stoltzes Schnauben seyn?* Syrus, ܪܘܚܐ ܪ̈ܒܬܐ. Viderat in animadversionibus philologicis Schultensius, sed in commentario, halitu oris displicente, coactius vertit, *ventum vehementem turbinis instar prorumpentem*.

Eodem modo et כבירים Job. XXXIV, 24. acceperim, *frangit*, *superbos*, vel, *rebelles*.

Notandus et error eorum, qui Jes. X, 13. כביר cum Aleph epenthetico scribi כאביר putant. Sunt hae diversae lectiones, nec

literis solum sed et sententiis. כביר, nostrarum editionum Keri, in textu habent XIV codices Kennicottiani, quam lectionem si praeferrem, verterem, *et humi prostravi superbum*, i. e. *superbiam*, *incolarum ejus*. Sed et de LXX. Syro, et Chaldaeo dicendum, qui, πόλεις, ܡܕܝܢܬܐ *urbes*, כְּרַכִּין תַּקִּיפִין, *castella munita* verterunt. Forte, *superbum*, pro invicto munimento poni censuerunt, ut מרדה, *rebelle*, *castellum invictum* denotat. S. V. Koppius suspicabatur, eos עיר legisse, mallem, si lectio mutanda, ביר, sed neque hoc neque Koppii עיר codex ullus habet.

1096. מכבר 2 Reg. VIII, 15. *reticulum vultui dormientium impositum*, *velum culicare.*

Retinent LXX, ut ignotum, τὸ μαχβαρ, Aquila et Symmachus στρῶμα vertunt, exque illis Vulgata, *stragulum*, Syrus ܡܫܘܝܬܐ (quod ipsum est non satis exploratae significationis, hic modo et Judic. IV, 18. pro שמיכה lectum, ubi ex filo orationis est tapetum solo instratum, *Fusdecke*) Arabs قطيفة *stratum* (*), Chaldaeus גונכא *gaunacum*, i. e. *stragulum altera parte villosum.* Res ipsa ejusmodi quid poscere videtur, quo molestius, quod nullo linguarum Orientalium usu haec straguli notio firmatur, ac ne etymon quidem illae, ut solent, offerunt.

Mutemus paulisper sententiam, habebimusque partem eorum quae quaerimus. מִכְבָּר *reticulatum opus esse*, notum, itemque כְּבָרָה *cribrum*, a retis similitudine dictum: sit ergo et nostrum, *reticulum*, quod

(*) In Golii lexico *stratum villosum*, *holosericum* vertitur: verum est generatim stratum, etiam tapetum solo instratum exque Arabica lingua in Hispanicam et Lusitanam transiit. Vide, *der Dänischen Missionarien aus Ostindien eingesandte Berichte* T. IV. Halae 1742. pag. 1132.

quod arcendis muscis et culicibus vultui dormientium imponi solet, sub calidiore coelo, stragulum conopeum. Ita non contradico veteribus, sed quae illi habent, explicando, et vocabulum adstrictius definiendo, facio verisimiliora. De re ipsa vide notas ad versionem germanicam.

Caeterum si quaeras, unde retis notio pluribus haeserit nominibus a כבר derivatis, ambigere me adhuc duplicem inter sententiam fateor. Volunt aliqui, et rete et cribrum a multitudine foraminum dictum, quod non repudio: addi et possit, Syris Chaldaeisque *favum* a multitudine foraminum, ܟܒܪܝܬܐ, כבריתא, dici, sed et haec derivatio dubia, aliis codicibus ܟܒܪܝܬܐ *orbem* mellis, habentibus. Vide Schaafii lexicon Syriacum. Ergo forte ad מִכְמֹר, *rete*, referas, literis ב et מ Arabum more permutatis: sed vel id cum usu, tum etymo reliquarum linguarum caret. Ergo prius adhuc praestabilius, ac si מכבר et מכמר alterum sunt ex altero orta, מכבר *rete* primitivum fuerit.

1097. כביר עזים 1 Sam. XIX, 13. 16.

Satis unanimiter, Syrus, Vulg. Arabs, Chaldaeus, *pellem*, vertunt, nisi quod Vulgata, *pilosam* addidit, *pellem pilosam caprarum.* Pellis caprina, capiti supposita, quid ad fugam Davidis celandam facere potuerit, non assequor; nec impositam capiti dices, ejusmodi enim tegumentum, vel in nostro, multo magis in calido climate insolitum, ipsa insolentia curiosos alliceret, remque suspectam faceret. Obstant et, quae sequuntur, verba, ותכס עליו *obtexit illud* sc. כביר: *in quibus* כביר *non tegens est*, sed tectum. Recentiores, ex Kimchii conjectura, *culcitram* reddunt. Haec quidem omnia, non usu solum linguarum Orientalium, sed et etymo destituuntur, quod enim Simonis habet in lexico, esse operimentum, a כפר *texit*, non est nisi conjecturalis literarum permutatio.

 Me-

Melior ſane his Bochartus, P. I. hieroz. libr. II. c. 51. p. 624. aliorum quoque conjecturas recenſens, etymologice, *magnum*, vertit, *magnum caprarum* intelligens, *longiores caprarum villos*, *caeſariem Davidis ſimulaturos*. Aſperior quidem ellipſis nominis שׂער, *pili*, nec tamen plane inſolita, ut Exod. XXV, 4. Sed et huic meliori interpretationi obſtare videtur ſequens, *et texit illud* i. e. illos pilos caprarum: tecti et operti ſi erant, caeſaries dormientis Davidis haberi non poterant.

Mihi quidem כביר hic ſpurium, veraque lectio eſſe videtur כבד vel כביד per Daleth, *jecur*, a LXX, Joſepho (Ant. VI, 10, 3.) et Aquila expreſſa, naturae rei convenientiſſima: jecur enim palpitatione ſua, per aliquot horas durante, dormientem, ſtragulo tectum, ſpiritum ducere ſimulabat, quod mirum ne Bochartum quidem, lectioni iniquum, vidiſſe. Relege notas germanicas ad hunc locum, et *bibliothecam Orient. primam* T. VII. p. 193 – 196.

1098. כברת הארץ Geneſ. XXXV, 16. XLVIII, 7. 2 Reg. V. 19. circiter, *milliare Gallicum*, *paraſanga Arabum*.

Menſuram viae eſſe, a *magnitudine* dictam, dubitari vix poteſt, quod enim in quaeſtionum libro (T. II. p. 538.) habet Hieronymus, „*electo terrae tempore. Vernum tempus ſignificat, cum in florem omnia* „*rumpuntur, et anni tempus electum eſt* (*): *vel quum tranſeuntes per* „*viam carpunt* (**) *et eligunt ex vicinis agris, quodcunque ad manus* „*venerit, diverſis floribus invitati,*" non ſolum per ſe vix eſt veriſimile, ſed et loco tertio 2 Reg. V, 19. plane non aptum.

Quae

(*) כִּבְרַת Vide ברר p. 226.

(**) Videtur ברר *eligere*, et pro, *legere flores*, accepiſſe, nullo uſu, ſola conjectura.

Quae autem, aut quanta menſura? Plerique *milliare* vertunt, ſed hoc quale? quantumque? Sunt enim diverſiſſima miliiaria, Romana, Italica, Gallica, Germanica, alia, quarum menſuras, ut 10 ad 75 ſe habentes, hic non eſt explicandi locus. Nomen milliaris addendum erat! Primus, a quo haec dimanavit *milliaris* notio, Hispanica intellexiſſe milliaria videtur, Hispanus quippe gente, David Kimchi, ipſe quidem verſionem non probans, ſed nec ſequacibus ſatis intellectus. Hispanica milliaria $17\frac{1}{2}$ dicuntur facere gradum, dicuntur inquam, ipſe enim non exploravi. Sunt ergo germanicis, ac geographicis, minora. Verba ipſa adſcribo Kimchii, lectu non indigna, ſed a lexicographis menſurandi ac mathematum parum curioſis neglecta, licet ingens contineant veritatis non perfectae quidem, ſed tamen vero propinquae argumentum: פירשו בו מיל כי אומרים שבן מהלך לקבורת רחל מאפרת מיל, *interpretari ſolent, milliare, dicunt enim ſepulcrum inter Rachelae et Ephratham millinre intereſſe.* Hic quis alia intellexerit, quam Hispanica? Judaei ex Hispania in Palaeſtinam profecti, aeſtimare potuerant, quantum Bethlehema a ſepulcro Rachelae abeſſet. Ergo certe non erat, cur Kimchius ex etymologia gratis ſumta eos corrigeret, ſed de hoc deinceps.

Pejus prope reliquis omnibus, vir magnus, cui primo Hebraïsmi debemus peritiam Chriſtiani, Reuchlinus, "כִּבְרַת *Iuger ſtadium miliare* „*ſpacium.*" Haec non ſolum vaga, ſed alterum alteri contradicentia. Ignorantiam profiteri ſatius fuiſſet, quam contradictoria ſcribere. Ex Reuchlino fluxiſſe videtur, ſed dubitantius ſcriptum, quod Lutherus habet, *ein Feldweges*, nomen, aut nullius aut indefinitae ſignificationis. Certe nemo Germanorum novit, quid ſit, aut quantum, *ein Feldweges*, nec in ſermone communi occurrit.

Antiquiſſimus interpres Graecus, Geneſ. XXXV, 16. Hebraïcum nomen retinuit, ἤγγισεν χαβραθα εἰς γῆν, c. XLVIII, 16. cum in-

terpretatione poſuit, *κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθα τῆς γῆς* (*ad equi curſum Chabratha terrae*) tertio, 4 Reg. V, 19. iterum *χεβραθὰ τῆς γῆς* habet. Hinc et Theodoretus, ad Jerem. XXXI, 15. *τῆς Ῥαχὴλ ὁ τάφος ἱπποδρόμου, ὅ ἐστι χαβραθα, τοῦ ἐλθεῖν εἰς Ἐφραθά. Equi curſus*, menſura viae Arabibus uſitata, شوط الفرس, cujus quantitatem exemplis collectis quodammodo deſinire conatus ſum in nota 21 ad Abulfedae Aegyptum: proxime accedit ad milliare Gallicum commune, quorum 25 in uno gradu. Moſis quidem tempore equi in Palaeſtina nulli, ſed menſuram viae vocabulo ſui temporis exprimere aut proxime ad illam accedere, licuerit interpreti Alexandrino.

Syrus 2 Reg. V, 19. habet ܦܪܣܚܐ ܕܐܪܥܐ *paraſangam terrae.* Paraſangas gradus unus ſecundum veteres habet Arabum geographos, $22\frac{2}{9}$, ſecundum recentiores $18\frac{8}{9}$.

Vides has omnes menſuras milliari Hiſpanico proximas eſſe, quod et Judaei a Kimchio excerpti ſumebant. En aequationes. Gradus unus habet, aut certe habere, ſi recte menſuras viarum computaremus, debebat,

$17\frac{1}{2}$ milliaria Hiſpanica, forte ex paraſanga Arabum nata.

$18\frac{8}{9}$ paraſangas, ſecundum Arabum geographos recentiores

20 milliaria Gallica majora, triginta ſtadia milliari uno faciente.

$22\frac{2}{9}$ paraſangas, ſecundum Arabum geographos veteres

25 milliaria Gallica communia.

Veteres ergo ſi ſequaris, videtur כברת הארץ proxime abfuiſſe a paraſanga Arabum. Certius quid docere nos itineratores poſſent, ſed plane definitam menſuram forte nec ipſi habuerunt veteres, cum ne noſtra quidem Germanorum milliaria uſitata ſint, quae eſſe oporteret, 15 in uno gradu. Vera milliaria nullus omnino populus habet, qui in

in menſurando, cubitorum, pedum, paſſuum numeris rotundis utitur, coeli enim rationes aliae, gradusque in 15, 20, 25 diviſus non numeros rotundos, non millia faciet, ſed et centurias, decadas, monadas, numeros fractos. Contenti ſimus hac paraſangae adproximatione.

Caeterum mirari poſſis, ubique poſt כברת legi, הארץ, non ſuperfluum modo, ſed et, ut videtur vix ſatis apte poſitum: nec equidem excutere animo ſuſpicionem potui, reſcribendum, כברת הרץ, *magnum ſpatium currentis*, i. e. *curſus major*, ut Arabes ſuam paraſangam in tria minora milliaria, ميل dicta, dividunt. Nihil tamen inveni variae lectionis.

Diximus ſupra, Kimchium in lexico, *milliare* ab aliis Judaeis, qui Palaeſtinam forte viderant, oculisque ac paſſibus ſpatia menſuraverant, traditum, repudiare. Scire forte cupias, quid ipſe ſentiat? Refert ad verbum ברה comedere, Caph pro praefixo habens, explicatque, מהלך ארץ מן הבקר עד עת האכילה כי כן משערין הולכי הדרכים, *quantum viae iri poteſt a mane, usque dum edamus, ſic*, addens, *itineratores viam aeſtimare ſolitos*. Ergo foret ſemidiaeta, milliaria circiter duo germanica, quod mihi veri diſſimile. Addit et Saadiae auctoritatem, cui Caph comparativum fuerit, licet ميل, *milliare*, interpretetur. Equidem in Saadiae verſione veſtigium Caph comparativi non invenio: habet illa, وبقي لهم ميل من الطريق *et milliare viae illis ſupererat*, ubi milliare majus Arabicum, alio nomine paraſangam dictum, intelligo. Sed forte, quod vitium ſcriptionis in libris Arabum facile eſt admiſſu, in ſuo codice verſionis Saadiae مثل ميل, *ſimile milliari*, legebat.

1099. כְּבָר, *forſitan, jam, olim.*

Particula in ſolo Coheleth obvia, Syriasmis hujus libri adnumeranda, atque ex lingua Syriaca, quae ſola eam habet, illuſtranda. Sy-

ris

ris ܟܒܪ est, *forsitan*, *jam*, *olim*, ex quibus notionibus eam eliges, quae cuique loco Ecclesiastis aptissima. Exempla probantia si cupis, evolve Castelli et Schaafii lexicon Syriacum. Ex analogia linguae Syriacae videtur per Patach potius כְּבַר scribendum, quam per Kamets. De etymo nihil adhuc dum paret.

1100. כבשׁ, *calcavit*, *subjecit sibi.*

Recte ita vertunt lexicographi, nec est libera verbi versio, sed maxime propria, ut linguae nos cognatae docent, a qua deinceps et *subjicere potestati suae*, figurate positum, fluxit. Syris quidem ܟܒܫ Job. XXII, 15. est, *calcare*, ܐܘܪܚܐ ܕܥܠܡܐ ܢܛܪܬ ܘܟܒܫܘܗ ܓܒܪ̈ܐ ܕܫܘܩܪܐ *viam seculi tenes*, *quam calcarunt hominum mendaces*, ubi Arabs Syriacum verbum داسوا (*calcarunt*) reddit. Vide et alia exempla in lexicis Syriacis enotata. Inde et ܟܘܒܫܐ *scabellum.* Chaldaei a *calcando* et כִּבְשָׁא *viam*, dixerunt, et כִּיבשׁ *scabellum.* Arabes suum كبس sensu etiam Venereo ponere, monuerunt alii, recteque ad Esther. VII, 8. transtulerunt. Ex eadem notione et كابوس *incubus*, fluxit. Translatae significationis unum modo exemplum Syriacum pono, Marc. V, 4. ubi Syrus uterque, vetus et Philoxenianus, δαμάσαι, ܠܡܟܒܫܗ reddunt.

Ex prima, *calcandi*, notione lucem accipiet obscurior aliis visus locus, Zachar. IX, 15. וכבשׁו אבני קלע, *pedibus proculcabunt lapides fundae:* innoxii illis ante pedes ipsorum concident proculcabunturque ab illis funditorum hostilium lapides. Jam non opus dura ellipsi praefixi ב, quam plerique sumunt: *subigent hostes lapidibus fundae.*

Alius est paulo difficilior locus Mich. VII, 19. יכבשׁ עונתינו, *subiget peccata nostra.* Vocandusne hic in subsidium Chaldaismus, cui כבשׁ frequentissime est, *abscondere*, *occultare*, hac, ut puto, serie notio-

tionum: 1) *subjecit*, 2) *humi stravit*, atque hinc omnino, *stravit*. 3) *operuit* velo aut alia re. Hanc tertiam notionem et Arabes habent sub كبس, *immissum caput recondidit in veste*. Egregie quadrat, *occultabit*, *alta caligine merget*, *peccata tua*. De Syri varia lectione vide כבשׁ.

1101. כֶּבֶשׁ 2 Paral. IX, 18.

Ἅπαξ λεγόμενον, de quo pleraque lexica ita parum distincte agunt, ut illis inspectis vix satis intelligas lexicographum. Duplicem video aut triplicem vocabuli versionem,

1) *scabellum* Vulgata habet, quod et Chaldaicum כיבשׁ et Syriacum ܟܘܒܫܐ significare diximus.

2) Chaldaeus כיבשׁ vertit, forte non, quod nos scabellum dicimus, pedibus subjectum, intelligens, sed aliquem obliquum ante sex gradus throni ascensum. Sic quidem plerumque Judaei, Kimchiusque in radicum libro: כֶּבֶשׁ est *idem quod* מדרגה (*adscensus*) *et sic in Mischna legitur*, עלה בכבשׁ. *Non autem factus erat gradibus lapideis ligneisve, quorum unus altero altior, sed ascensus erat unus, declivis, paulatim ascendens a solo, usque ad locum ad quem ascendebant. Propterea etiam altari* כבשׁ *fecerunt, quod prohibitum erat gradibus ad illud ascendere.* כבשׁ *autem throni* (Salomonis) *fuit ante gradus, proxime a solo, et per illud ascendebant ad gradus.*

3) ܣܦܬܐ *labium*, i. e. *marginem* vertit Syrus, exque eo Arabs, حافة. Eodem redire videtur, quo Kimchianum. Ascensum adclivem a solo ad gradus throni, marginem vocabant.

Sunt ergo haec, quae lexica aut confundunt, aut obscurius dicunt, aut alterum omittunt, in duas sententias dividenda, 1) *scabellum* pedibus regis in solio sedentis subjectum 2) *ascensus adclivis* ante sex gra-

 dus

dus ſolii: quarum utram praetulerim non expedio, ambabus enim et linguarum Orientalium uſus, et ſeries orationis favet.

Unus utrique interpretationi obſtat parallelismus 1 Reg. X, 19. ubi eſt, ראש עגל לכסא *caput ſolii rotundum a poſtica.* Inter duo ambigo, ſitne hoc varietati et errori lectionis tribuendum, antiquiori Paralipomenis, ita ut altera lectio in libris regum nobis ſuperſit, altera in Paralipomenis deſcriberetur? an כבש et capitis nomen eſſe potuerit. Arabibus quidem كُبْسٌ *magnum caput,* كُبَاسٌ *capito, magno capite praeditus, caput veſti involvens et ita dormiens.* Sic quidem caput ab *involvendo* nomen acceperit, quaſi, *involutum*, ſolent enim Arabes, aeſtate ſub dio inque tectis dormientes, caput involvere, quod niſi faciant, in tetanum aliosve diros morbos incidunt. — — Nihil adſevero, ſed dubia mihi ſubnata ſubticere nolui.

1102. כִּבְשָׁן *fornax.* Geneſ. XIX, 28. Exod. IX, 8. 10. XIX, 18.

Fornacem eſſe, veteres recentioresque conſentiunt, ac res ipſa clamat, cum et fumus ejus et favilla memorentur. Id ſolum ex Kimchii libro radicum excerpo, quod plerisque video neglectum, non eſſe fornacem, in qua panis coquitur, תנור dictam, ſed *fabrorum*, atque *calcariam:* addiderim et, *aerariam,* in qua ex minera metallum excoquitur. Jam et, in quo alii laborarunt, etymon aſſequi mihi videor: dicta fornax a domando ferro, minera, lapidibusque.

1103. כידור Job. XV, 24. *ſcabellum.*

Ex ſolo citari ſolet loco Job. XLI, 10. ubi *ſcintillam* ſignificat, (alia dabit, ſi cupias, Caſtellus): ſed ex lectione codicis Caſſellani ſemel adhuc, Job. XV, 24. recurrit, ita inſigni ſententia, ut aut verum videatur, aut certe in ſupplementis lexicorum non omittendum. Monuerat jam Raſchius, כידור quod ibi legitur, aliquos cum כידוד conferre:

ferre: quos ut recte intellexerit, vereri poffis, forte enim non per alliterationem contulerunt, fed ita aut legerunt, aut legendum cenfuerunt. Caffellanus fane codex in ultima litera rafuram habet, ut ex Daleth in Refch mutata videatur, ejusdemque punctator, Raphe fupra literam ponens לְכִידוֹר eam pro Daleth habuit, inque fuo codice, ex quo puncta fumebat, Daleth invenit. Solum quidem incedere Caffellanum video, fed reliqui fatisne curate confulti? Quod plus eft, eandem lectionem expreffit Chaldaeus, *ut rex, deftinatus ad fcabellum.*

Eximia fententia كدّ inter alia eft, *contundere*, (unde et fcintillam dictam exiftimo, contufione et collifione lapidis cum ferro exfiftentem), itemque, *calcare*, unde كديد *terra calcata:* a calcando proximus ad fcabellum tranfitus. *Rex deftinatus ad fcabellum*, infigni infortunii imagine erit, cui deftinatum eft, ut victori olim fcabellum fit, cujus magni fortunae ludibrii exempla hiftoria, fed Jobo multo recentior, exempla praebet; antiqua tamen, licet minus illuftria, fi cupias, lege Jofuae X, 24. ubi colla victorum regum ante necem pedibus calcantur. Phrafin eandem, fed aliis verbis, habes Pf. CX, 1. *donec ponam hoftes tuos* הדם לרגליך *fcabellum pedibus tuis.*

Audacia fi cui imaginis difpliceret, poffit et vertere, *deftinatus ad contufionem*, vel etiam, *ad infortunium*, laborem enim et moleftiam a كدّ dicunt Arabes: fed mihi ipfa illa perquam placet audacia.

1104. כַּדְכֹּד Jef. LIV, 12. Ezech. XXVII, 16.

Lapis, ut videtur, pretiofus, ex Syria Tyrum advectus, (Ezech. 27.) ex quo, ut volunt alii, *feneftrae*, ut mihi videtur verifimilius, *globi fulgentes, folis referentes imaginem, turribus impofiti*, facti dicuntur Jef. 54. Haec ipfa legens, et hoc intelliges, gemmam proprie fic dictam effe non poffe, hae enim non tantae, ut globi ex illis

 facti,

facti, turribusque impositi, conspici eminus, solemque simulare possint: nec fenestras ex gemmis facimus. Lectio si vera, nomen habere possit a scintillando, collato כידודים *scintillae*, unde si non gemma, rutilans tamen et fulgens lapis dici potuerit: sed et hoc etymon in incertis. Ne lectio quidem certa, per duplex enim Resch כרכר, in Ezechiele legebant LXX, χαρχὸρ, habentes, exque illis Arabs, خُرْخُور, per unum Resch כרכד in Jesaia Symmachus, Καρχηδόνιον vertens, eique consentiens codex Kennicotti 128, sed recentior.

Veram nominis significationem ipse adhuc ignorans, non eam docturus lectores commentor, sed hoc unum docturus, nihil nos scire. Gemmas proprie sic vocatas, cur repudiem vixdum dixi: de his tamen veteres prope omnes cogitarunt.

1) Generatim *gemmas*, utrobique vertit Chaldaeus מרגלין, margaritarum enim nomen et gemmas apud Orientales complectitur, nec ea facienda interpreti injuria, ut margaritas ei loco alienissimo obtrudamus: margaritae certe ex Syria non advehuntur. De Jesaiae loco nihil dico, aliter ibi de שִׁמְשׁוֹת, quam nos sensit: *ligna tua*, aut, *mutabo in gemmas*, aut, *distinguam ornaboque gemmis*.

2) *Jaspis* est LXX, Vulgatae, et Syro, in Jesaia.

3) Καρχηδόνιος, soli, ut jam monuit Hieronymus, Symmacho in Jesaia, nempe כרכר legenti. Falsa sine dubio versio, cum Carchedonius a Carthagine (Καρχηδών) nomen habuerit, quae Hebraeis non כרכר est, sed קרתא חדתא futura erat. Nempe de Carchedonio ita Plinius, l. XXXVIII, §. 30. *hoc idem* (sole calefactus, aut digitorum attritu, paleas ad se rapere) *et Carchedonius facere dicitur; quamquam multo vilior praedictis. Nascitur apud Nasamones* (haud procul a Syrtibus Africae) *in montibus, ut incolae putant, imbre divino. Invenitur ad repercussum lunae, maxime, plenae.*

plenae. Carthaginem quondam deportabatur. Archelaus et in Aegypto circa Thebas nasci tradit, fragiles, venosas, morientibus carbonibus similes.

4) Syrus in Ezechiele ܟܕܟܘܕܐ, quod quid sit ignoramus. Job. XXVIII, 18. incertum pro quo vocabulo Hebraico legitur. Castellus, *vestem polymitam* vertit, a ܩܕܟܪ *variavit.* Ezechielis loco vestis polymita apta esse possit, non Jesaiae.

5) De Judaeis sui temporis Hieronymus, ad Ezechielem: *ajunt Hebraei, omnes pretiosissimas merces hoc nomine significare, vel speciem quandam esse pretiosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet: vel communi vocabulo, scruta vendentium.* Merae conjecturae, quales esse solent Judaeorum, loco Jesaiae plane ineptae.

6) *Crystallum* habent recentiorum haud pauci. Et hoc quoque conjecturale, sed reliquis hac parte melius, quod absurdum, alterique aut utrique loco incongruum dici nequit. Si tamen שִׁמְשׁוֹת in Jesaia non fenestrae sunt, sed globi, soles, turribus impositi, ne cristallus quidem locum habebit, transparens, lumen non repercutiens, nec solis more rutilans.

Ergo omnia expendens, nihil me scire, nihil verisimile habere, video, meaque facio Hieronymi ad Ezechielem verba: *Chodchod quid significet, usque in praesentiam invenire non potui.*

1105. כדר in significatione *rotunditatis*, et כַּדּוּר *sphaera, globus*, fictitia verba.

כַּדּוּר Jes. XXII, 18. XXIX, 3. ad radicem כדר Rabbini retulerunt, cui *rotunditatis* dederunt notionem, quam in nulla habet veterum linguarum Orientalium, Syriacum enim ܟܕܪ Arabicumque كدر alia omnia significat. Recepit hoc in suum radicum librum Kimchius, etiam כידור Job, XV, 24. eo referens: unde in alia dimanavit lexica.

Spurium verbum et vocabulum: ad דור potius כדור referendum, ac כ pro praefixo habendum. Habet quidem Thalmudica lingua, cujus auctoritate Kimchius utitur, et Rabbinica, כדור *sphaera*, כדורי *sphaericus*, כדוריה *rotunditas*, sed sunt factitia vocabula, ut multa magistrorum, ex falsa interpretatione locorum Jesaiae orta.

1106. כידור Job. XV, 24. *infortunium.*

Et hoc nomen ad rotunditatis fictitiam notionem retulerunt Judaei, lexicographique eos sequuti: quos vide, maxime Castellum. Meliora docuit Schultensius in commentario: كَدَرَ est, 1) *turbidus fuit*, 2) *adversa usus est fortuna* كدر عليه معيشته *aquatio ejus turbida fuit*, i. e. *adversa usus est fortuna.* Vide ipsum, et lexica Arabica, ac dubitare desines.

In orthographia adhaerere me sentio, mallemque כדור sine Jod, sed nullus ita codex Kennicotto consultus.

1107. כהה *hebescere.*

Notissimum Hebraeis verbum, sed ignotum Syris, Arabibus modo in figurata significatione, ad animum relata, superstes, كهي *imbecillis*, *pusillanimis fuit.* Sic et Hebraice Jes. XLII, 4. occurrit, לא יכהה, male Houbigantio Syriacum ܟܐܐ (mutato א in ה) conferente.

1108. כהן

כִּהֵן ut verbum denominativum a כֹּהֵן, frequens Hebraeis aliisque Orientalibus, hac significatione, *sacerdotem constituit*, *sacerdotio functus est:* quae autem prima ipsius verbi notio fuerit, atque unde sacerdos dictus, de eo variae fuerunt eruditorum conjecturae, usu ac consensu linguarum orientalium pleraeque destitutae.

1) Kimchio universalis notio verbi est, *servire*, *ministrare*, sed ita ut sit dignius et excellentius, (כלם בענין עבודה בגדולה).

Hoc

Hoc unum firmari ex lexicis Arabum Syrorumque poſſit, quae habent, Gigg. كهن *miniſtravit*, ܡܟܗܢܢܐ *miniſtrans*, ſed quod ſtatim explicatur, *ſacerdotio fungens*: ut jam non primitivum habere videamur, ſed iterum denominativum. Eſt tamen adhuc, quod pro Kimchiana adferri ſententia poſſit, eamque facit veriſimiliorem, كاهن *adminiſtrator alieni negotii*. Sic promta utrique ſignificationi nominis derivatio, 1) *ſacerdos*, proprie deo *ſerviens*: 2) *praefectus regius*, 2 Sam. VIII, 18. proprie, *adminiſtrator negotii regis*. Ergo forte hic ex lexicographis optimus, qui primus. Sequutus eum erat Münſterus.

2) Reuchlino: *praeſedit*, *praefectus fuit*. Conjectura nullo uſu confirmata.

3) Ex *Cocceji* conjectura, ſed nimis fidenter dicta, *proprie et ex vi vocis* כֹּהֵן *eſt*, *qui accedit ad regem*, *ante eum qui ſummus eſt. Ideo explicationis gratia adjungitur*, *tanquam etymologiae evolutio*, *Exod. XIX*, 22. הכהנים הנגשים אל יהוה *ſacerdotes qui accedunt ad Jehovam*. Male ille, licet multorum tulerit ſuffragia. Exod. XIX, 22. explicationem etymologiae eſſe, non gratis modo ſumtum, ſed et contra mentem Moſis: ſacerdotes jubet Deus ad ſe propius accedere, i. e. montis Sinai aliquam partem conſcendere, ubi כהנים ſunt, *ſubjectum*, *accedere ad deum*, praedicatum et imperatum.

Forte et quaeras, quid praeter haec, quae ſub numero 1 attigi, כהן reliquis linguis Orientalibus ſignificet?

4) Arabibus كَهَنَ eſt, *praeſagivit*, *praedixit occulta*, *hariolatus eſt*, unde كاهن inter alia *hariolus*, et vero in malam partem, ut in Corano Sur. LII, 28. *neutiquam tu es*, *per gratiam dei*, كاهن

كاهن ولا مجنون *hariolus aut daemoniacus* LXIX, 42. Orta inde ſignificatio, quod ſacerdotes idolorum divinandi artem profiterentur.

5) In Syriaco Caſtelli lexico legitur ܟܗܢ *beatus fuit*, ܐܬܟܗܢ *magnarum opum poſſeſſor factus eſt*, ܟܗܝܢܐ *abundans*, *affluens opibus*, ܟܘܗܢܘܬܐ *abundantia*, *fertilitas*. Non has equidem ſignificationes nego, cum videam ab Arabe Antiocheno Pſ. CXXI, (Hebr. CXXII,) 6. Syriacum ܟܘܗܢܐ verti, الغني *divitias*, verſuque 7. ܟܘܗܢܘܬܐ, الخصب واليسار, *abundantiam et felicitatem*: me tamen judice.

6) Syriacum ܟܗܢ cum derivatis *pacem* potius, et *tranquillitatem* notat: quippe poſitum, Job. XVIII, 10. 27. pro בֶּטַח, et pro שלה, שָׁלֵו, שַׁלְוָה, Pſ. LXXIII, 12. CXXI, (Hebr. CXXII) 6. 7. Jerem. XXII, 21.

Harum quidem Syriacarum ſignificationum in Hebraicis veſtigium non reperi, nec jam vacat inquirere, unde ortae.

7) Videtur et Syris aliquando *hypocriſin* notaſſe. Arabs certe Antiochenus ܟܗܝܢܝܢ Pſ. LXXIII, 12. vertit, مُنَافِقِين *hypocritas*. Forte huic notioni cognatum مُكَاهَنَة *perſonarum reſpectus*, niſi malis ad ſequentem numerum referre, ut ſit, *nobilium* reſpectus.

8) ܟܘܗܢܘܬܐ in lexicis Arabico-Syriacis vertitur, العزّ, الاجلال, *gloria*, *honor*. Hoc quidem denominativum a כֹּהֵן ſacerdos: Hebraeis aliisque cognatis gentibus ſola hereditaria nobilitas, ſacerdotium. *Joſephus* in vita, ſtatim ab initio: ὥσπερ παρ᾽ ἑκά-

ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτως παρ᾽ ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος.

Braſſicam unde Arabes كهن dixerint, non adſequor: videtur primaria radicis notio adhuc latere: كَهْيَان *ſugillatio oculi*, aut ad radice كهي referendum puto, aut كهبان ſcribendum.

De uno adhuc dicendum Jeſaiae loco, in quo כִּהֵן nec eſt, *ſacerdotem conſtituere*, nec, *ſacerdotio fungi*, c. LXI, 10. כחתן יְכַהֵן פְּאֵר. Mihi quidem vel hic denominativum a ſacerdote videtur, *tiara ſacerdotem ſimulare*, nempe quod veſtes tiaraeque ſacerdotum eſſent inſigniores, ac ſplendidiores. Praeivit ex antiquis Aquila, *ἱερατευόμενος στεφάνῳ*, Chaldaeus, *ſicut ſacerdos magnus, qui ornatus eſt veſtibus ſuis*, exque recentioribus Lutherus, *wie ein Bräutigam mit prieſterlichem Schmuck gezieret.* Proximum ab hoc, nec obniterer, ſi ex Syriaco num. 8. generatim, *glorioſum* vel *ſplendidum tiara* verteres. Sic fere Syrus, ܡܟܗܢܐ, Symmachus, *κεκοσμημένος*, Vulg. *decoratus* corona, Kimchius in radicum libro, יגדל פארו *magnificat ornatum ſuum*, et Lud. de Dieu, primus Syriacum ܡܟܗܢܘܬܐ *gloria*, *magnificentia*, in ſubſidium vocans. — — Haec quidem eodem redeunt, eritque nomen magni decoris a ſacerdote ductum. Sed idem, quem citavi, Ludov. de Dieu, et de miniſtrandi notione cogitavit: *ſicut ſponſus miniſtrat ſponſae in ornatu ſuo.* Non placet. פאר non ornatus, ſed tiara; nec ſponſae miniſtrare in nuptiis ſolet ſponſus, ſed adſidere. De miniſterio nocturno non cogitabat de Dieu, et recte quidem, nec enim decorum memoratu fuiſſet.

Soli LXX *περιέθηκέ μοι μίτραν*, *impoſuit mihi mitram.* Hi quidem pro Coccejano, *acceſſit*, *accedere fecit*, citari poſſent, de quo tamen vix eos cogitaſſe, ſed modo utcunque conjeciſſe putem.

1109. כָּוָה *ussit*, כִּי *ustio*, *inustum stigma*, *incendium*, *urtica*.

Verbum כוה *ussit*, cum Syris (ܟܘܐ) Arabibusque (كوى) commune habent. Ad hanc radicem כִּי Jes. III, 24. Kimchius jam in radicum libro retulit, sequutique sunt ex lexicographis vel primarii, recte ut puto, cum particulae כִּי in כי תחת יפי vix locus ac nomine omnino opus sit: alia lexica vocabulo carent. Forma eadem quae עי ab עוה, aut אי ab אוה, nec erat, quod de ejus insolentia quereretur Ludovicus de Dieu: alterum quod opponit, Makkeph inter hanc sequentemque vocem interjectum, כי־תחת, omnino nullius momenti, nisi punctorum antiquitate credita, sed ne hos quidem qui illorum auctoritati addicti sunt, in hanc inclinabunt sententiam, aliis codicibus Makkeph non habentibus, ac voci כי accentum Tiphcha subscribentibus.

Ustionem fere vertunt, *adustas sole formosarum puellarum facies* intelligentes, nec contradico, quamquam post ea, quae praecesserunt, hoc pene minutum videri possit: liceat tamen et aliam versionem proponere, non sola etymologia, sed usu insuper Arabum firmatam. His ab urendo كَيّ *ustio est cauterio facta*, *inustum stigma*. De stigmate ergo, fronti mancipiorum inusto, liceatne cogitare? Idne elegantibus etiam et fastuosis puellis inuretur?

Duo addo loca, in quibus nomen legere, quam particulam כי, malim. Num. XXIV, 22. כי אם יהיה לבער קין *incendium ubi fuerit*, *erit ad exterminandum Cainum*, i. e. prorsus Cainum (Kenitas) absumet.

Jes. XXXII, 13. in כי על כל בתי משוש malles sane particula כי carere, et nomen legere dumeti aut herbae invisae, pulcris in aedibus luxuriantis. Negligunt כי ibi lectum, LXX et Syrus, Lowthus lectionem mutat, sed sine teste, Vulgata explicat per, *quanto magis*. Haec

Haec quidem male: primo enim, *quanto magis*, eſt אף כי, deinde ab agris non duci ad aedes argumentum tanquam a minore ad majus poteſt, ubi de ſuccreſcentibus carduis et ſpinis ſermo. Herbam ergo *inviſam*, quae ab urendo dici poſſit, circumſpiciens, aliam nullam invenio, praeter *urticam*, Arabibus quoque بنت النار *filiam ignis* dictam, inque ruderibus palatiorum feliciſſime provenientem, nec id modo apud nos, ſed et in Aegypto. Haſſelquiſt p. 525. 526. Florae: *urtica Aegypti maxima, — Locus, Aegypti rudera, menſe Martio.* Sumta urtica, videbis omnia facilia et expedita eſſe.

1110. כוח *robur.*

Frequentiſſimum Hebraeis vocabulum, quo Syriaca lingua caret: Arabica ipſum nomen non habet, ſed verbum tamen cognatum, كوح *pugnando vincere*, nomenque كَيْح *aſperitas, craſſities.*

Num. XIV, 17. de *longanimitate* poni, jam adnotavit Coccejus: nempe, hic potentia opponitur impotentiae, quam Latini dicunt, animi et adfectuum. Eadem utriusque linguae phraſis. Huc et retulerim Nahum. I, 3. יהוה ארך אפים וגדול כוח *longanimis eſt Jehova, et magnus robore*, magnus potentia animi; ac forte Job. XXXVI, 5. כביר כוח לב, *magnus robore animi.*

1111. כוח Levit. XI, 30.

Bocharto, P. I. l. IV. c. 3. copioſe de hoc vocabulo agenti, omnino adſentior, *lacertae* genus eſſe: quodnam? maximumne illud ac fortiſſimum, quod cum ſerpentibus et crocodilis terreſtribus pugnare fertur, Arabibus وَرَل dictum? in incertis adhuc relinquo. Nititur illud etymo, a כוח *robore*, et كوح ducto: ſed plura in cognatis linguis כוח ſignificat, ut in Thalmudica כיח *ſpuere*, pluribus una etymologiis ſe offerentibus, quas Bochartus non expendit.

1112. כִּלְכֵּל, כּוּל

Menſurandi notio verbo כול certa, atque ut jam alii notarunt, Hebraicae cum plerisque linguis Orientalibus communis. Hinc ubi quadriliterum כִּלְכֵּל eſt, *nutrire*, proprie ſignificare videtur, *admenſurare*, *demenſum quotidianum dare.*

Pſalmo LV, 23. הוא יכלכלך, haec ſignificatio parum videtur apta. Vulgata quidem et ibi, *nutriet te:* at cum de inſidiis ab hoſte ſtructis ſermo, vitae ſuae metuenti, non penuriam, nutrimenta parum concinne promittuntur. Aquila et Symmachus, *ἀγαπήσει σε*, *amabit te:* hoc unde? Ego mallem, *remetietur tibi*, i. e. juſta pro malis rependet, quae hoſtes tibi innocenti intulerunt, praemia innocentiae et adverſorum dabit.

Pſ. CXII, 5. יכלכל דבריו במשפט LXX verterunt, *οἰκονομήσει τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐν τῇ κρίσει*, id eſt, ut ego quidem intellexerim, *ſapienter dicet, et tanquam ad menſuram, verba ſua in judicio.* Sic et in ſua verſione Hieronymus, *diſpenſabit*, quod enim in editionibus legitur, *diſperſabit*, librariorum eſt aut editionum ſphalma, collato ipſo ad Joel. II. Hieronymo, T. III. editionis Benedictinorum p. 1359. Nec hic de reo, aut cauſſam agente, ſermo, ſed de judice, ſapienter et juſte ſententiam dicente. Judicio menſuram aequam tribuunt Hebraei, ut nos libram, (vide de דון dicta, pag. 422. 423) jam *admenſurabit verba ſua in judicio*, idem erit, ac, *judex ſedens ad normam juſtitiae ſententiam dicet.* Duplex ineſt in dicto: boni viri, primo felicitas ac dignitas, quod judex ſeſſurus, deinde laus, quod juſtam dicturus ſit ſententiam.

Alii quidem aliter: Syrus, ܡܣܝܒܪ ܡܠܘܗܝ ܒܕܝܢܐ, quod fere exponunt, *ſuſtinetque verba ſua in judicio*, (praevalens adverſario, cauſſamque vincens) quamquam aliter intellexiſſe eum Arabs Antio-

Antiochenus videtur, vertens يبين كلامه بالحق *diſtinguit verba ſua in jure:* Chaldaeusque, יְסוֹבַר מִלּוֹי כהלכתא ſeu potius, ſic enim legendum arbitror, בהלכתא *ſuſtinet verba ſua et obtinet in judicio.* Sic quidem recentiorum plerique.

1113. כון, aliquando, *eſſe*, *fieri.*

Frequentiſſima et certiſſima Hebraico verbo rectitudinis ſignificatio, ſed inde ad, *eſſe*, vel, *fieri*, Arabes Syrique transtulerunt, hac notionum ſerie, *rectus fuit*, *rectus*, *erectus ſtetit*, *fuit*, fere ut Latinum *exſiſtere* philoſophi pro *eſſe* uſurpant. Notiſſimum كان, *fuit*, verbum ſubſtantivum, paulo rarius Syrorum ܟܢ *coepit eſſe, accidit, factum eſt* (chreſtomathiae noſtrae p. 117) unde et ܟܝܢܐ *natura.*

Hoc quidem Arabico et Syriaco ſignificatu forte et Hebraicum accipiendum, Pſ. XXXVIII, 18. *ego ad claudicationem factus*, ſeu, *natus ſum*, plane ut Arabibus quinta conjugatio paſſiva, تكون *factus* ſeu *natus fuit.* Teifaſchi p. 99. الزبرجد يتكون *gemma Zabargad naſcitur iisdem in locis, in quibus ſmaragdus.* Ipſum כּוֹנֵן et הֵכִין *paravit*, ad hanc ſubſtantivi verbi notionem referendum, *eſſe fecit.* Huc et referre poſſis וַיְכֻנֶנּוּ Job. XXXI, 15. quod LXX γεγόναμεν, Vulg. Syr. Chald. *formavit* verterunt, ſi mutatis punctis Hiphil facias, וַיְכִנֶנּוּ: ſuccurrit codex Kennicottianus, cum Jod conjugationis Hiphil, ויכיננו habens, ſed unus modo, ideoque vix audiendus. A Piel, כּוֹנֵן, eſſe nequit, hoc enim accedente ſuffixo ſcribendum וַיְכוֹנְנֵנוּ fuiſſet. Ergo adſentior illis, qui ad כנן referunt, ſuo quaerendum loco.

A recto, et *firmum* ſeu *ſtabile* dici notum. Adnoto pulcram oppoſitionem Job. XII, 5. *riſui eſt* נָכוֹן לְמוֹעֲדֵי רָגֶל *firmus*, ſtabilis in virtutis via, *vacillantibus pede*, i. e. peccatoribus. Aliqui hic adhaeſerunt,

runt, ipſe adeo Schultenſius, *percuſſionem flagellantem* vertens a, נכה, ad quam radicem ſi referres, *claudus* potius foret, idem qui alias נכה. Non attendebat vir magnus ad oppoſitionem, ſenſum vocabuli determinantem.

נכון יום Prov. IV, 18. *ſtabile diei* vertere ſolent, mihi quidem praeplaceret, *rectum diei*, i. e. meridies, cum ſol in medio coeli rectus ſtat, recta illud linea dividens. *Stabile* quidem diei, quid eſt, cum ne minutum quidem temporis ſtet eodem in loco ſol, ſed ſemper in motu ſit, die ſive creſcente, ſive declinante.

1114. גֹּרֶן נָכוֹן 2 Sam. VI, 6.

Ad hanc radicem referendum videtur, ſive nomen areae ſit proprium, *area Nachon*, ſive adpellativum. Proprium Graecis, ſed male deſcriptum, Ναχωρ, librariorum ut puto Graecorum culpa, et Latino interpreti, (*in aream Nachon*), aliis adpellativum, quorum ſententiae favet, quod in loco parallelo 1 Paral. XIII, 9. גרן כידן vocatur, quae nomina vix potuerunt librarii lapſu permutari, ſynonyma eſſe poſſunt, idemque ſignificare. Sic quidem duplicem admittit explicationem,

1) *area instructa*, i. e. conſtrata jam frumento. Sic putem accepiſſe Chaldaeum, אתר מתקן *ad locum paratum*, (ſed forte ſcripſerit, ut patrem meum ſuſpicari video, אִדַּר מְתַקַּן, *aream paratam*) Syrus, ܠܐܕܪܐ ܡܛܝܒܐ *ad aream paratam*, Arabs الي موضع البيادر المُصْلَحَة *ad locum arearum paratum*, Aquila, ἕως ἅλωνος ἑτοίμης. Eximia ſententia, et veriſimillima: ſtrata frumento, quod in illis triturandum erat, area, boves alliciebat, ut ex via diverterent. At ſecus Bochartus hieroz. P. I. l. II. c. 37. pag. 372. lin. 12. *frigide*, inquit, *ut videtur, neque enim noſtra refert ſcire*,

ſcire, an areae, quae in hac via occurrebant, fuerint paratae, nec ne. Sic quidem ille de veteribus ne intellectis quidem: omnino noſtra referebat ſcire, area enim nuda haud allectura boves erat. Iniquior etiam, ut ſaepe, ſententiae quae non ſua eſt, pergit: *quid quod, area parata non diceretur* גרן נכון, ſed גרן נכונה, *quia* גרן *eſt femininum.* Atqui ex legibus grammaticis גרן pluraliter גרנות generis eſt communis, nec inde quod ſemel feminine conſtruitur Jerem. LI, 33. ſequitur, ut maſculine conſtrui nequeat.

2) Mihi olim נכון erat, *propinqua, area in proximo*, idque et in verſionem germanicam receperam: ſed abdico, praeplacet, veterum illa inſtructa, frumento ſtrata. Vide et ſub כידון, *area accumulati manipuli.*

Caeterum Bochartus ad נכה *percuſſit* retulit, (quam ſignificationem ne in Kal quidem, ſed in ſola Hiphil, הִכָּה verbum habet Hebraicum) vertitque, *aream percuſſionis*, in quo eum plerique ſequuti ſunt. Mihi veterum, modo intelligantur, partes videntur veriores, aut certe veriſimiliores.

כֵּן cujus Nun in incremento Dageſch accipit, et כַּנָּה, quaere ſub כנן.

1115. כִּיּוּן vel potius כֵּיוָן *Saturnus.* Amos V, 26.

Nomen idoli ab Iſraelitis culti, quod LXX, Aegyptio uſi nomine, Ῥαιφαν, transtulerunt, idque nomen ſed magna varietate lectionis in orationem Stephani. Act. VII, 44. receptum. Ῥαιφαν vel Ῥηφαν ſine dubio Coptica lingua Saturnus, idque primus, a Salmaſio ad ſacras translatum literas, ab eo acceptum, criticis ſuis ſacris inſeruit, atque ad Act. VII. disputavit copioſius *Ludovicus de Dieu.* Nempe, ut ſumma attingam, *Athanaſius Kircherus* in *lingua Aegyptiaca reſtituta* p. 49. ex *ſcala magna Arabico-Coptica*, haec planetarum nomina deſcripſerat,

الشمس

الشمس *sol*	- - - -	ΥΛΙΑ ΠΙΡΗ
القمر *luna*	- - - -	ΣΙΛΙΝΗ ΠΙΙΟΣ
زحل *Saturnus*	- - - -	ΡΗΦΑΝ
المشتري *Juppiter*	- - -	ΠΙΖΕΥC
المريخ *Mars*	- - - -	ΜΟΛΟΧ
الزهرة *Venus*	- - - -	ΣΟΥΡΟΤ
عطارد *Mercurius*	- - - -	ΠΙΕΡΜΗC

Idem Kircherus p. 527. ex commentario manuſcripto Coptico in Actus apoſtolorum, qui adſervatur in bibliotheca Vaticana, citat: *hoc eſt*, ΡΗΦΑΝ, *deus temporis*, aliumque indicem planetarum, ♄ *Rephan Deus temporis*. Eadem in lexico Coptico-Arabico mſcr. invenit Hottingerus, attulitque p. 57. *exercitationum Antimorinianarum*.

Mirum, dubitari amplius potuiſſe: nec tamen dubitavit, ſed omnino rem negavit *Paulus Erneſtus Jablonskius*, vir magnus atque Copticae linguae peritiſſimus, ſed nimis etymologiis addictus, in *Rempha Aegyptiorum deo*, Francof. et Lipſiae 1731. libello adeo raro, ut vel qui diu poſtea, anno 1745 *de tabernaculo Molochi et ſtella dei Rempha* doctiſſime ſcripſit, ac veriſſime, *Nicolaus Wilhelmus Schroeder*, libellum Jablonskianum plane ignoret, unde nec eum, quod nemo Schroedero melius facere potuiſſet, refutavit. Hanc tamen Schroederi commentationem legat, ſi quis veram (ſic mihi videtur) ſententiam, de *Rephan*, *Saturno*, copioſius diſputatam perpendere, deque ea certior fieri cupiat.

Jablonskianae diſſertationis auctoritas eo cum valuerit, ut in lexico Lacroziano ΡΗΦΑΝ, Saturnus plane omiſſus ſit, nec ipſum conſulere rarum Jablonskii libellum poſſis, ſcire forte cupias, quibus argumen-

gumentis consvetam sententiam damnarit? quam ejus loco novam dixerit?

Primo *certum esse* ait, p. 38. Ρηφαν *nec stellam Saturni, nec omnino aliquid significasse.* At, qui poterat id *certum* dicere in tantis cognitionis linguae Copticae angustiis, monumentorumque penuria? Copticum esse poterat, quod Jablonskius ignorabat. Stellarum quot nomina germanica vel Germanus ignorat? Hoc, CERTUM, nullo argumento dictum, justo videtur audacius: estque veridissimillimum, eos omnes scriptores Copticos, qui ΡΗΜΦΑΝ tradiderunt Saturnum esse, mentiri, tamque illis in mendacio feliciter inter se convenire.

Addit, Spencerum hac in re sequutus, incredibile esse, *υλια solem*, et *σιλινη lunam* Coptice esse, aut *πιζευς Jovem*, et *πιερμης Mercurium.* Caussam non video, cur ita statuat. Non sunt haec antiquae Aegyptiae linguae sub Pharaonibus nomina, sed tamen Coptica: Aegyptus enim Graeca nomina multa, (innumera dicerem, nisi facile esset in hac penuria Copticae philologiae vel omnia numerare verba Coptica) sua donavit civitate, quae si quis in lexico ponat, non ideo mendax erit, nisi placuerit, vel la Croziani lexici ultra dimidiam partem ut falsam expungere. Nec ergo vel hoc fidei lexicographorum Coptico-Arabicorum obstat, quod Jablonskius opponit, Mercurium *Tot* et *Anubis* dictum fuisse, potuit enim praeter utrumque nomen Aegyptium, et Graecum *Πιερμης* in linguam Copticam immigrare.

Tertio opponit lexici auctoritati Achillem Statium, qui, *τα ὀνόματα*, inquit, *τῶν πλανητῶν διαφόρως ἐκλήθησαν. Ἀιγυπτίοις γὰρ καὶ Ἕλλησι τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ καίτοι ἀμαυρότατος ὢν*, ΦΑΙΝΩΝ, *λέγεται, ἀλλὰ παρ᾽ ἕλλησί μεν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται οὕτω. Παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις νεμέσεως ἀστὴρ*, quod ipso interprete est, Τιθράμβω. Fac omnes conjecturas Jablonskii; quas in tantis Copticae philologiae angustiis ausus est lexicis Coptico-Arabicis oppo-

nere, veras eſſe, ne ſic quidem illis repugnant. Potuit duplex ſtellae nomen eſſe, et νεμέσεως ἀστὴρ, et ῥηφαν: quodque maxime urget Jablonskius (p. 41.) Tithrambo, quae huic ſtellae praeficiatur, nomen femininum eſſe, nihil ad rem facit. *Rephan* Saturni ſtella Aegyptiis, ſed utrum eam maſculinam habuerint ut aliae gentes, an femininam, quid illud quaeſo ad hanc totam quaeſtionem? Saturni ſtella ſi illis feminina, et Rephan femininum erit.

Quarto putat, Coptico-Arabici lexici auctorem, ex hoc ipſo Amoſi loco in Graecis bibliis lecto, arripuiſſe id quod de Saturno habet, ſicut Molochum Martem faciat, iisdem lectis. — At aequumne eſt, fontem erroris quaerere, antequam argumentis confirmatum ſit, errorem eſſe?

Ad examen non revoco, quas ſupra ut veras admiſi conjecturas, factis et teſtibus oppoſitas: quas quidem, modo ad ipſum fama hujus commentationis perveniſſet, nec latuiſſet raritate, Schroederus ſub judicium fuiſſet vocaturus. Meum non eſt, in ſupplementis ad lexica Hebraica, de Copticis, quorum imperitiam profiteor, diſſerere: ex ſolis conceſſis ac datis cum Jablonskio diſputabam, logicus.

Quaeras forte, quid ipſe de Aegyptio Dei nomine ſentiat. Unicus codex, Corſendoncenſis, Act. VII, 43. ῥομφὰν habet: hanc lectionem ſibi interpretandam ſumit, nec ex uſu aliquo linguae Copticae, aut lexicis Arabico-Copticis, quippe in quibus non reperitur, ſed, ut ſolet, ex ſola etymologia. ΟΥΡΟ *dominus* eſt Coptis, M nota genitivi, *Phah* (quod ob literarum Copticarum defectum, Latinis ſcribere neceſſe habeo, cum ultimam exprimere literam graece nequeam; in lexico Coptico Lacroziano duabus modo, ΦΕ ſcribitur) *dominus coeli:* jam ex ΟΥΡΟ duas primas literas demit, atque ex PO, M, et *Phah*, componit ῥομφὰν, *dominus coeli*, quem *ſolem* interpretatur, hoc quidem non male, quamquam et Saturnus, planetarum ſum-

mus, eodem nomine non indignus videatur. Hae vero conjecturae etymologicae, literas adeo ubi lubet dementes addentesque, possuntne placere? aut opponi testimoniis Coptorum, qui lexica suae linguae commentariosque scripserunt? Mihi quidem his lectis certior etiam quam antea visa est consveta sententia, ΡΗΦΑΝ Saturnum esse.

Sed jam ad Hebraicum כיון redeo, quod LXX, non poenitendi sane Aegyptiarum rerum testes, de Saturno intellexerunt. Recte illi et vere, كَيْوَان enim apud Arabes Saturni nomen. Verba adscribere liceat Ludovici de Dieu in Amosi locum commentantis: *Abenesra monet, ex lingua Arabica et Persica constare, stellam Saturni adpellari* כֵּיוָאן. *Recte! Nam in etymologico quodam Persico-Turcico, cui nomen* دانستن *(Danistan), quod Golius ex Oriente secum attulit, in capite primo, ubi enumerantur stellarum nomina, vidimus recenseri,* كيوان *pro Saturno. Et in lexico Arabico cui nomen Camus,* كيون *explicatur,* رجل ممنوع*, vir rigidus et austerus, ad quem accessus quasi est prohibitus ob morositatem et morum difficultatem, cujusmodi apud ethnicos depingitur Saturnus, neque apud astrologos planetarum ullus inclementior Saturno.* Addere potuisset, رجل ipsius Saturni nomen esse, atque quod legebat, رجل ممنوع, forte potius vertendum: *Saturnus, item, severus.* Addo et Kimchium ad Amosi locum, qui aliis sententiis, seu conjecturis potius enarratis, pergit: *sunt autem et, qui dicunt, esse stellam Saturni,* (שבתי) *et sic vocatur in lingua Ismaelitica* כיואן. Mirum, haec legere potuisse lexicographos, nec suos in usus vertere.

Ex Arabicae linguae usu videntur et puncta a masorethis non bene posita corrigenda, et pro כִּיּוּן rescribendum כֵּיוָן, aut, si Jod mobile velis, כַּיְוָן, quamquam prius Hebraismi rationibus ad Arabismum aptius. Syrus quoque, nomen ut non ignotum retinens ܟܐܘܢ scripsit.

Etymon etiam in promtu, modo ut dixi, כִּיּוּן efferas. A rectitudinis notione fluxit Chaldaicum כֵּיוָן *justus*, justissimus enim regum Saturnus laudatur, et Saturnia tempora. Aliud a كان *fuit*, etymon attulit Lud. de Dieu, ut sit, *essentiator*: mihi vero suspectae in diis ethnicorum etymologiae metaphysicae, nostra, a justitia ducta, in propatulo.

Saturnum illae gentes, a quibus Israelitae idololatriam didicerunt, aut illis vicinae, praecipue coluerunt. De Phoenicibus vide *Eusebii praeparationem evangelicam* l. I. c. 40. Curtium l. IV. c. 15. et, plura colligentem, *Bryant* in *Observations and inquiries* p. 278. seqq. Ismaelitis etiam, proxima cum Israelitis cognatione ab Abrahamo junctis, magnopere fuit cultus: *Scharestanus* certe, Pocokio in specimine historiae Arabum pagina 140. citatus, Caabam Meccanam olim Saturno sacram fuisse, auctor est. Sed peculialiter hoc sidus superstitio Israelitica suae genti praefecit, nec obscura ratio: septimum diem inde a majoribus sacrum habebant Israelitae, in Dei creatoris honorem; at hunc Aegyptia superstitio Saturno dicaverat, quod quomodo acciderit, atque unde septem hebdomadis dies nomina sortiti planetarum sint, verisimillime, me arbitro, disputavit Gattererus in theogonia Aegyptiorum (*). In promtu ergo superstitiosis indoctaeque plebi, Saturnum pro deo gentis suae habere. Certe in hunc usque diem Saturnus Judaeis non solum שבתי (*sabbaticus*) sed et *sidus Israelis* dicitur, estque insignis locus, a Ludovico de Dieu citatus, Isaaci de Caro, astrologicas superstitiones prodentis: *est stella et sidus Israelis, ut dicunt omnes astrologi, ex partibus ejus est terra Hierosolymae, et ex lin-*

(*) *In commentationibus societatis regiae scientiarum Goettingensis ad annum* 1784 *et* 1785, ejus partis quae historica et philologica continet pag. 10-12.

linguis Hebraica, et ex legibus Israelitica. Ex his quidem pauca mea esse, sed ab aliis mutua sumta, quis non intelligit? sed excerpenda erant et prope describenda, lexicographis ita neglecta, ac si plane non exstarent.

Opponi mihi posse video, de quo hucusque nemo cogitavit, *Molochum*, in eodem versu Amosi memoratum, Saturnum esse videri: haec enim quis ferat, *portastis tabernaculum Molochi*, (Saturni) *et Chevanis* (Saturni)? Hic vero primo ne certum quidem, de Molocho sermonem esse, nec enim מלך vel מלכם legitur, sed, *tugurium*, מלככם *regis vestri.* Deinde, si ibi de Molocho sermo, ut mihi quidem verisimile, duplicem distinguendum esse Saturnum, utrumque cultum, recordemur, *terrestrem*, qui aliquando in terris regnavit, et *coelestem*, sidus Saturni. Nec ita solum Graeci et Latini, sed et Phoenices: Sanchoniathon, ab Eusebio excerptus l. I. praeparat. evangel. p. 40, Κρόνος, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς &c. *Saturnus, quem Israelem dicunt Phoenices, rex olim regionis, et post vitae exitum in stella Saturni consecratus.* Intelligis simul, Sanchoniathonis jam tempore Saturnum Israelitis proprium ac peculiarem habitum fuisse, quin ea, quae sequantur legens, suspicaberis, aut cum Abrahamo illum confusum, aut in Saturno terrestri ipsum Abrahamum cultum a quibusdam fuisse, pergit enim, — — ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρετ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ιεοὺδ (יהוד pro יחיד) ἐκάλουν (τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι) κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσεν. Mirae superstitionum, diversissimarum ortu, confusiones, fere ut somniorum, potueruntque forte vel in deserto Israelitae, cum Saturni religionibus, filios vorantis, et

et cui filios immolabant Phoenices, justi tamen et boni, cultum aliquem Abrahami conjungere.

Miraculo proximum, in tanta rerum luce lexicographos, doctiores etiam, alios plane a vero aberrare, atque adeo ne Saturni quidem nomen memorare, ambigere alios et plane nihil definire potuisse. Ex christianis quidem lexicographis hic iterum optimus, qui primus, Reuchlinus, *idolum*, inquit, *quod multi putant esse Saturni*, *eo quod ipse Saturnus in lingua Arabica et Persarum ita nominetur*. Huic quidem quod dubitaret vitio haud vertendum, cum Arabicam Aegyptiamque linguam consulere non posset. At vide, ut res in deterius ierit philologica, cum altius attolli conjecturis et etymologiis putaretur! Evolve ex lexicographis optimum et doctissimum, Coccejum, qui Ludovicum de Dieu legere potuerat debueratque: miraberis, *thecam*, illum vertere, ex conjectura etymologica, Saturni ne nomen quidem habere, antiqua et vera interpretatione plane obliterata, ac tot post Ludovicum de Dieu annis ita quid sit Ῥηφαν ignorare, ut putet, LXX ריון legisse pro כיון! Conjecturae criticae quod monstrum! Cupisne plures recentiorum errores uno obtutu lustrare? evolve Simonis lexicon, miraberisque unum Saturni nomen non comparere, Schroederi adeo excerpi dissertationem, sed nec vel ex ea antiquissimam Graecorum et Judaeorum sententiam excerpi, plane anonymum Saturnum discedere. Sic ne dignum quidem relatu verum, certum, antiquum videbatur! Melior hac parte Stockius retulit, *quosdam Hebraeorum, teste Vatablo et Münstero arbitrari esse stellam*, *quam Persae quoque vocent* כיואן. Tamne vero dubitanter scribendum post Ludovicum de Dieu? Persaene nominandi, Arabibus idem nomen habentibus? Vatablo et Münstero teste hoc dicendum, non Kimchio? Alia tamen parte laudo Stockii lexicon, quod unicum errorem memorat, relatu et anquisitu dignum, de quo aliquid dicendum arbitror, reliquas conjecturas

ctura negligens. *Drusius* ad Amosi locum, (in *criticorum Anglicanorum Tomo III. p. 1054.*) *quidam*, inquit, *Herculem fuisse suspicantur, qui a gigantis statura, qua olim pingebatur, alio nomine Repha dictus sit, nam Raphaim gigantes. Sane Herculem Aegyptii Chonem vocabant, ut Lilius Giraldus ex Antiocho quodam Xenophanis.* Ex his quidem, alterum, de רפאים, tempori, quo vivebat Drusius condonandum, necdum enim quisquam Graecum Ρηφαν explicuerat: adblandiri vel nunc alterum possit, cum de Israelitarum ex Aegypto egressorum superstitionibus sermo sit, etymologiconque magnum Herculem Chon vocari ab Aegyptiis, in χῶνες, nomine populi Italiae, referat, his verbis, τὸν Ἡρακλῆν φασι κατὰ τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον χῶνα λέγεσθαι, παραγενέσθαι δὲ εἰς Ἰταλιαν, καὶ ἀπ' αὐτοῦ χῶνας ὠνομασθῆναι τὸ ἔθνος. Digni ergo interrogatu codices, nullusne eorum כון sine Jod habeat, nam כיון plane de Chone Aegyptiorum accipi nequit. Interrogavi ergo Kennicottiana biblia, sed nulla in כיון varietas lectionis, certumque etiam videtur, LXX cum Jod legisse, כון enim homines Aegyptii Herculem potius quam Ρηφαν reddituri erant. Ergo et haec explicatio abdicanda, sola ex erroribus, quae aliquid habet eruditionis et verisimilitudinis.

Kimchius in radicum libro idem putabat cum כַּוָּן placenta, de quo vide pag. 1235. dicenda.

1116. כון vel potius כֻּן nomen urbis, *Berytus, Saturnopolis.*

Quae 2 Sam. VIII, 9. est ברתי, *Berytus*, nobis Barut, vel Bairut, urbs Phoenices ad mare mediterraneum, eadem 1 Paralip. XVIII, 8. כון, id est, si puncta sequamur masorethica, כּוּן, *Cun.* Mirum utriusque libri divergium, et ultra variam lectionem adsurgens, quis enim vel ebrius vino librarius ברתי in כון mutare potuisset? Omnia clara et expedita, si punctis masorethicis, quae sola nebulas offundunt, muta-

mutatis כֹּן efferas, atque ex praecedente nomine, *Saturni urbem*, *Saturniam*, *Saturnopolim*, interpreteris. Sic dicta, quod a Saturno condita credebatur. Stephanus de urbibus, p. 164. (editionis Amſtelod. 1678) Βήρυτος, πόλις Φοινίκης, κτίσμα Κρόνου.

1117. כַּוָּנִים *placentae*, Jerem. VII, 18. XLIV, 19.

Recte placentae ſeu libi genus intellexerunt lexicographi, plerique jam inde a Kimchio ad כון referentes. ut a *parando* dicta placenta ſit, praeeunte adeo Hieronymo, qui *praeparationes* vertit: pater meus et Simonis ad כוה uſſit, ut ab urendo, i. e. coquendo dicta ſit. Id quidem et mihi praeplacet, ſed ſub ea ponere radice malui, ſub qua a plerisque quaeſitum iri putabam. Linguae orientales, praeter dubiam derivationem nihil opis ferunt.

Eſt et de antiquis nonnihil dicendum interpretibus, parte jam quidem a lexicographis occupata. LXX χαυῶνας verterunt, incertum, utrum ignotum vocabulum retinentes, literisque Graecis exprimentes? an graeco vocabulo harmonico, felicitate linguae uſi, Hebraicum exprimentes? Poſterius quidem ſumi ſolet, atque ΧΑΥΩΝ pro vocabulo vere graeco haberi, lexicis etiam Graecorum inſertum: etymologicon certe magnum, (ſed nullo addito etymo) et Svidas, χαυῶνας, inquit, ἄρτους ἐλαίῳ ἀναφυραθέντας, ἢ λάχανα ὀπτά: *panes hordeaceos oleo mixtos, vel olera aſſata*. Mihi vero haec mera videtur conjectura de vocabulo ex ſolo Graeco Jeremia lexicis illato: nullo quidem ex alio auctore graeco citari video, hic vero, et in etymologico magno, et a Svida, ne in nominativo quidem poni, ſed, plane ut Jeremias Graecus habet, in adcuſativo. Accedit quod alii aliter jam explicent χαυων, jam legant, ut diſces ex Bielii lexico, ad quod hic ablego. Ergo me judice nihil hic ex Graeco ſolorum LXX χαυῶνες opis, creduli que exiſtimandi, qui graecorum lexicographorum aucto-

rita-

ritate כון interpretantur, Hebraico vocabulo ex Graeco lucem accensuri. De Arabe si quaeras, Jeremiam ex Graeca versione interpretato Graecum χαυωνας intellexisse non videtur, sed iterum ex conjectura vertisse, nec ut graeci lexicographi, sed vocabulo latiore, قرابين *oblationes*. Nec Hieronymo videbatur vox Graeca: *ut faciant*, inquit p. 566 commentarii, *Chavonim, quas nos placentas interpretati sumus, sive praeparationes.*

Chaldaei et Syri versionem non satis intelligimus: ille quidem כרדוטין, quod alias χειριδωτα (*tunicas cum manicis*) significat, hic ܟܘܢܐ, quod alias *buglossi* nomen: in re pistoria quid significent, ignoramus. Ergo contenti generico, *placentae*, speciem ignoremus potius, quam aliquid erronei sanciamus.

Male Raschi, nec solum nullo argumento, sed et filo orationis, placentas poscenti, parum apte, *typos* vertit idoli alicujus: reginaene coeli, (lunae,) depsebant ex farina coquebantque imagines?

Nostrum placentae nomen et ad כיון Amos V, 26. transtulit, *placentas idolis coctas* vel ibi intelligens, Kimchius in radicum libro.

1118. מָכוֹן Jes. IV, 5.

Receptam in lexica notionem, *locus firmus*, *basis*, vocabulo minime nego: semel tamen, (forte et saepius) simpliciter mihi, *locum*, significare videtur, plane ut Arabicum مَكَان, nomen notissimum ac vulgatissimum, Jes. IV, 5. על כל מכון הר ציון *super omnem locum montis Sion.* Praeiverunt ibi LXX, πᾶς τόπος τοῦ ὄρους Σιών, et Vulgata. Nempe verbum כון inter alia est, *rectus stetit*: ut ergo a קום *stando*, מקום *locus*, sic et a כון, מכון. *Locum paratum montis Sion* ibi habet Coccejus: hoc quaeso quid est? Sed video et LXX מכון, מכונה, כן aliquoties ἑτοιμασίαν vertere, etymo ex conjugatione

tione Hiphil ducto, ſed perquam obſcura ſententia. Exempla quaerenti dabit Trommius.

1119. כוס νυκτικόραξ, bubonis aliqua ſpecies longioribus circa aures pennis. Levit. XI, 17. Deut. XIV, 16. Pſ. CII, 7.

Copioſe de hoc vocabulo et erudite egit Bochartus hierozoici P. II. libr. II. c. 27. ſed a veteribus recedens omnibus, atque ex etymologica conjectura *onocrotalum* faciens: in quo tamen recentiorum pauciores, quam in aliis ſententiis, virum ſequuti magnum ſunt, idque laudandum arbitror. Linguae nos Orientales plane deſtituunt, כוס ut avis vocabulum plane non habentes: ergo tota quaeſtio redibat, primo ad verſionum antiquarum conſenſum aliquem et auctoritatem, a quibus omnibus recedit Bochartus, deinde ad Pſ. CII, 7. ubi ut avis ſolitaria deſcribitur, rudera habitans, (כוס חרבות, vide p. 904. 905) Bochartianae ſententiae omnino contrarium, nec enim rudera habitat, ſed paludes earumque viciniam onocrotalus. Etymologiae, in qua totus eſt Bochartus, exque ea omnia petit, vix ulla in inveniendo vero hic habenda ratio, ita enim ſe multiplex offert, ut plures una aves nomen ſortiri potuerint, ac ne manifeſtis quidem erroribus, ut ardeae ex transpoſitione nominum in Deuteronomio pro כוס habitae, etymon deſit. En aliquem indicem

1) Rabbini, *bubonis* aliquod genus, recte ut opinor, intelligentes, male ad כסה *texit*, retulerunt, quod bubo latere amet, fugiatque homines. Grammatica derivationi non favet, radicem potius mediae literae quieſcentis aut geminatae poſcens.

2) Grammaticae convenientius ad כוס, *poculum*, refert Bochartus, quod onocrotalus quaſi poculum, ſeu trullam, cui piſces ingerat, ſub roſtro habeat, unde et latinis *trua* dictus ſit; egregie quidem, modo ullo alio conſtaret argumento, כוס onocrotalum eſſe.

3)

3) Egregie referri ad Arabicum كوّس possit, *inversum reddidit in caput, inverso capite praecipitavit*, unde et puto כוס, كاس, *calicem* dictum, quod inversus servari solet, ne quid in eum incidat eumque polluat. Hinc plures nomen sortiri aves potuissent, ut quae errore librariorum et transpositione Deuteron. XIV. in Graeca versione locum כוס occupat, *ardea* (ἐρῳδιός) et piscium capiendorum caussa, et venatorum metu, caput alte paludi inserens, exserto, cum tota mergi nequeat, podice, quem adeo sagittis, aut nunc sclopetorum globulis impetendum, ultro praebet: *falco*, de quo cogitasse aliquos Rabbinorum infra videbimus, praeceps ex alto in praedam, maxime in ardeam, irruens; catarrhactes, qui coelitus praeceps in mare irruit, illudque adeo subit, piscatum, aliaeque plures.

4) Ad كشّ *mugire*, sic illa foret ardeae species, quae *botaurus* dicitur, (*Rohrdommel*) de qua ipsa aliqui conjecerunt interpretum.

5) Ad كاش pro كوش *terrore correptus fuit, timuit*, unde bubones, nycticorax maxime, nomen sortiri potuerint, sive quod timida est et lucifuga avis, sive quod hominibus terrorem incutit.

Ergo nihil amplius de derivatione, ita multiplici, ut omnibus aliqua apta inveniatur vel manifestis erroribus, nec verum ea duce a falso hic discerni possit! Veteres audiendi: ad quos tamen antequam accedamus, aliquid de lectionis varietate dicendum.

Vau quidem a nullo codice Kennicottiano abesse miratus sum: at quod vix exspectasses, ex epistola *Hieronymi ad Sunniam et Fretellam*, (exstat locus, T. II. p. 655. editionis Benedictinorum) ad Hexapla Origenis observavit Montfaucon, in psalmo CII כס reperisse Hieronymum.

nymum. Ipsa verba adscribo: *In Hebraeo pro nycticorace verbum* BOS *scriptum est.* Nihil ibi in latinis exemplis varietatis esse, monuit editor Martianaeus, additque Montfauconius, aegre Latinum COS et BOS permutari posse, alterumque pro altero scribi, facile כוס et בוס. Fateor non desiisse me dubitare, potuerit enim latinus librarius, videns, non de lapide, sed de animali sermonem esse, *cos* ex conjectura in *bos* mutare, latina poni nomina existimans. At, quod vix exspectabam בוס in Hebraicis quoque exemplis repertum. כבוס habent, codices Kennicotti 73, Hebraeo-latinus, ideoque hic forte suspectus, 96, atque a prima manu 37, pluribus nobiles insignioribus lectionibus. Est in his omnibus codicibus, de quo adhuc anquisitu opus est, cum soli plures solito habeant lectiones rariores, nec laudis expertes nec suspicionis. Audax tamen, ac veri vix similis adcusatio, cujus mihi venit in mentem, omnes ex Hieronymo corruptos, ejusque BOS insertum esse; ex Vulgata corrumpi codices Hebraeo-latini potuerint, vix autem ex epistola ejus ad Sunniam ad Fretellam, paucis Judaeis conversis lectam aut nomine tenus notam. Quidquid sit, hoc Hieronymi et paucorum codicum בוס, errorem puto, explicandam tamen vel falsam lectionem utcunque reor. Forte reddenda, *sum ut proculcatio ruinarum*, i. e. ut ruinae, quae pedibus calcantur. Sed revertor ad כוס, quod vel in hoc psalmi CII loco praecedentibus ac sequentibus multo aptius. De hoc ergo, usu linguarum Orientalium destituti, ambiguo et multiplici etymo, veteres consulamus.

Hi vero prope omnes, mirum dictu, et ubique, in unum consentiunt, *bubonem aut aliquod ejus genus.* Liceat hos seorsim, numeris distinctos, excitare:

1) *Noctua* est Vulgatae, in libris Mosis.

2) Γλαὺξ bibliis sextis ubique. Hieronymus id referens in epistola

la ad Sun. et Fret. (Op. T. II. p. 655.) ſuo calculo comprobat: *ſexta editio noctuam interpretatur, quod et nos magis ſequimur.*

3) Syro ubique ܩܘܒܝܢ i. e. *noctua.* Luſit in hoc vocabulo, ut ſolet, ſuo more Bochartus, cum קריא et צריא conferens, literis ע, ק, צ, inter ſe permutatis, p. 274. Hos ei luſus et condonemus et relinquamus: id certum, ܩܘܒܝܢ *noctuam* eſſe, nec ex lexicis modo Syriacis, ſed et fide Arabis Antiocheni, qui Syriaca reddens, in Pſalmo CII. هامة *bubonem*, vertit. Ephraemus Syrus, quem forte interrogatum velis, nomen quidem ut notum non literaliter explicat, ſed noctuam ſine dubio intellexit, haec addens ſpiritualia, *imaginem eſſe moechorum et furum, quod haec avis noctu volet, ut adulteri tenebrarum utantur praeſidio.* T. I. p. 276. De etymo ſi quaeras, noctuam ita Syris dictam putem ab עוך *redire*, quod in gyrum atque orbem volat. Sed his minutiis nolim ſupplementa onerare.

4) Arabes ubique, nec Polyglottus ſolum Erpenianusque, ſed et, ut literis Roma datis Adlerus me docuit, Samaritani, بوم vel بُوَّم vertunt, quod vocabulum ſub media rad. geminata بُوَّم in Golii lexico invenies, *bubonem* ſignificans (*). Egit et de eo copioſe Bochartus, noctuae nomen eſſe ex Arabibus adferens.

5) Samaritanus צדיה vertit, i. e. noctuam, collato Arabico صَدًى. Vide Golium p. 1349. et Schultens ad Hamaſa p. 558.

6)

(*) Habet bibliotheca noſtra academica exemplum Erpenianae editionis, cui ſua manu Erpenius notas adſcripſit: hic ergo in Levitico margini adlevit, בם *cod.*

6) Eodem et referendum Chaldaicum צדיא, quod in Deuteronomio Jonathanis verſio typis expreſſa habet, transpoſitis tamen vocabulis (*). Cujus loco cum Levit. XI. in ſequioribus Thargumim, Jonathanis et Hieroſolymitano, צַיָּדָא *piſcator* legam, lapſum librarii pro צדיא arbitror, praeeunte Bocharto: licet fatear, et צירא nomen avis eſſe, *laris*, ſeu, ut Gesnero p. 176. (averſa) libri de avibus, (*Vogelbuch*) vocatur, *das Fiſcherlin.*

7. 8. 9. 10.) Νυκτικόρακα habent, in Levitico LXX: pſalmoque CII. (etiam in Deuteronomio, ſed vocabulis avium transpoſitis) et ubique, Aquila, Theodotio, et biblia ſic dicta quinta. Hieronymus l. c. ad Sunniam et Fretellam: *quod Aquila, et Septuaginta, et Theodotion, et quinta editio nyčticoracem interpretati ſunt.* Quo nomine quid recentiores deſignent, jam non quaerimus, ſed quid veteres. His vero bubo fuiſſe videtur, longioribus circa aures pennis, (*gehörnte Eule*). Ariſtoteles de hiſtoria animal. l. VIII, c. 12. verſus finem: ὁ ὦτος ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ, καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων, ἔνιοι δ' αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσι: *otus noctuae ſimilis, pinulis circa aures praeditus, aliqui eum νυκτικόρακα vocant.* Idem libr. IX. c. 43. §. 238. pag. 1076. γλαῦκες, καὶ νυκτικόρακες, καὶ τὰ λοιπὰ, ὅσα τῆς ἡμέρας ἀδυνατοῦσι βλέπειν, τῆς νυκτός μεν ἐκπορεύουσιν — — θηρεύει δὲ μῦς, *noctuae, et nycticoraces, et alia, quae interdiu videre nequeunt, noctu exeunt — — capit autem mures:* ubi quis non videt, de noctuae ſpecie ſermonem es-

(*) Vide de hac transpoſitione vocabulorum in Deuteronomio, quaeſtiones noſtras, Arabiam petituris propoſitas, (*Fragen an eine Geſellſchaft Gelehrter, die auf Befehl des Königes von Dännemark nach Arabien reiſen*) p. 317-319.

eſſe (*). Accedit non poenitendus teſtis, Arabs pſalmorum interpres, qui Pſ. CII. *νυκτικόρακα* بُوم, *noctuam*, interpretatur.

11)

(*) Liceat hic obiter monere, ad ea, quae in quaeſtionibus Arabicis pag. 326. de *Conradi Geſneri* nycticorace interrogaveram, cujus imaginem ei miſerat Turnerus, nulli notae avi ſimilem, a beato Lohmanno, Duisburgenſium profeſſore, cujus mihi diſcipuli chariſſima memoria, die 30 Nov. 1773. reſponſum eſſe. Circa Rhenum inferiorem hanc avem, ſub nomine *Nachtrabe*, Turnerus viderat, ſeu potius de ea audierat. En quid ibidem locorum degens, curioſiſſimus inveſtigator, me docuerit, ipſius verbis: *Ich will Ihnen noch eine Nachricht geben, die Ihnen vermuthlich nicht gantz unangenehm ſeyn wird. Sie betrifft den Nachtraben, deſſen Ihre Arabiſche Fragen S.* 316. *Erwähnung thun, und worüber ich einmahl von Ihnen befragt ward. Am Ende wird zwar nichts weiter herauskommen, als, daß es keinen ſolchen Vogel giebt, und Turner oder Geſner betrogen ſeyn müſſen. Allein auch dieſes gewiß zu wiſſen, iſt etwas. Weil man in unſerer Gegend den Vogel überall kannte, und ſeine Beſchreibung mit der Geſneriſchen ziemlich überein kam, gab ich mir alle Mühe ihn zu bekommen, und immer mehr, jemehr es mir unmöglich zu werden ſchien, darin glücklich zu ſeyn. Alle Forſtbedienten wuſten mir davon zu ſagen, einige wollten ihn mehrmahl geſehen haben, und keiner konnte mir ihn doch liefern. Endlich wurde er mir vor ein Paar Monathen gebracht, und es war der Caprimulgus. Nun war nichts anders übrig, als, daß ich mich verſicherte, daß kein anderer Vogel hie herum Nachtrabe heiſſe. Ich ſandte dieſen alſo an die meiſten Forſtbediente, und einige Jagdfreunde, und ließ fragen, wie dieſer Vogel hieſſe? und, wenn ſie ihn Nachtraben hieſſen, ob ihnen kein anderer bekannt ſey, der Nachtrabe genennet werde? Sie beantworteten es alle einmüthig dahin, daß dis der rechte ſey, und ſie ſonſt keinen je ſo nennen gehört hätten. Ich zeigte ihn zum Ueberfluß noch meinen Zuhörern, worunter verſchiedene aus dem Jülichſchen und der Nähe von Bonn, wo Turner den ſeinigen will bekommen haben, her ſind und fragte, ob ſie den Vogel kenneten? Sie kannten*

ten

11) Indico, ſed in rationes non refero, obſcuriora, quae ab ipſo Bocharto, licet aliter ſentiente, pro noctua citantur, ut, קדיא Onkeloſi, quae gloſſatoribus Thalmudis ſit, *avis, clamans noctu, vultum felis habens et oculos antrorſum verſos.* Conſentio quidem in rei ſumma, niſi quod קריא, *clamoroſa* avis legendum putem, ut ipſe in Thalmude ſcribi memorat. Addiderim etiam et ſcriptionis et interpretationis argumentum, quod LXX קורא 1 Sam. XXVI, 20. νυκτικόρακα reddiderunt.

12) קפופא Chaldaeus habet in pſalmo CII, et Pſeudojonathan in Deuteronomio, itemque Samaritanus in Levitico (ordine nempe verborum Samaritani codicis obſervato). Et hoc noctuam interpretatus eſt Bochartus Thalmudicorum auctoritate: addiderimque et aliam, Arabis Samaritani, quem, ubi Aramaeo-Samaritanus קפופה ponit, بُوم habere, docuit me, (Roma die 15 Aug. 1781) Adlerus. Unde ita dicta noctua, num a furando, (collato Arabico قفقاف) meum non eſt jam diſpicere, ne ad nimia dilabar parerga.

In tanto veterum conſenſu difficile eſt, dubitare, maxime cum et hoc accedat, quod Pſ. CII, 7. avis deſcribatur, *rudera*, חרבות, habitans, propriam noctuarum ſedem, tanquam a natura illis adſignatam,

ten ihn, und bezeugten dabey, daß kein anderer des Nahmens ihnen bekannt ſey. Da dieſe alle, die theils aus dem Cleviſchen, theils aus Moers, Jülich, Bergen und Teklenburg waren, ihn, und keinen andern des Nahmens kannten, ſo halte ich es für unmöglich, daß die Gesneriſche Abzeichnung wirklich den Nahmen, Nachtrabe, gehabt habe, ſondern es muß dabey ein Verſehen oder Betrug vorgegangen ſeyn. Sic licuerit, verbis viri, nimis cito mihi meaeque magnae exſpectationi morte praerepti, errorem corrigere, a magno adeo Conrado Gesnero, ſed decepto vulgi ſermonibus a Turnero creditis, commiſſum, atque aliquam hiſtoriae animalium partem emendare.

tam, insuperque Arabibus, ut jam Bochartus notavit, أم الخراب dicatur.

Sunt tamen et enotandae aliae, quae nobis, falsae videntur, *interpretationes*:

1) perquam verisimiliter, sed ex mera vocabulorum transpositione, in Deuteronomio Ἐρῴδιον i. e. *ardeam* habent LXX. Error est, non interpretis, sed librarii, sive Graeci, Hebraei, exemplo Hebraico usi sunt Septuaginta, ut ex collatione Levitici inquirere dignanti parebit. Vide *Quaestiones* nostras *in Arabiam proficiscentibus propositas* p. 317-319. ubi et exposui, cur verisimilem dicam errorem, nempe, quod aliqua ardeae species, tribus in capite longioribus pennis insignis, recentioribus Nycticorax dicitur, nec etymon ardeae sit defuturum. — — Fateor, ipsi mihi, cum primum inquirerem, errorem placuisse, ut ex collegio critico mscr. in Levit. XI. Deuteron. XIV. video. Notaveram etiam, non plane supervacaneum fuisse, ardeae esu interdicere, ex Gesnero enim, p. 206 et 208 *des Vogelbuchs* intelligitur, non defuisse, qui ardeis, maxime juvenculis, vescerentur. Fuerunt et ex recentioribus aliqui, ardeam praeferentes. Sed abdico, est enim merae transpositionis.

2) *Upupam* reddere Symmachum narrat Hieronymus in epistola saepe citata ad Sun. et Fret. (T. II. p. 655.) legiturque in bibliis hexaplis Lev. XI. sine nomine, sed quod Hieronymi auctoritate addiderunt editores, ἔποψ. Manifestus, ut mihi videtur error, cum pro upupa non solum auctor testis adferri alius, sed ne etymologia quidem possit. Adde, quod potius sub דוכיפת latere *upupa* videri possit, ac recordare pag. 415-417. scriptorum. Mirum, qua hariolatione ad upupam Symmachus devenerit.

3) *Falconem*, (a natura ardeae datum hostem,) intellexisse Ra-

ſchius dicitur. Nihil equidem tale in ſcriptis ejus reperire potui, ne in copioſiore quidem Breithaupti verſione latina: Kimchius tamen in radicum libro, ante tot ſecula in Raſchii commentariis forte legens, quae nobis perierunt, ורבינו שלמה ז״ל פרש פלקון״ בלעז ואותו שקורין פלק״ן הוא נמצא בישוב. וצדין בו בני האדם שאר העופות *Rabbi Salomo interpretatus Gallice, falquon* (*noſtro tempore, faucon*). *Eſt haec avis terrae habitatae* (nempe antea dixerat Kimchius, ignotam avem eſſe) *qua venantur alias aves.* Conjectura, ſine argumento: etymo tamen eam non deſtitui ſupra dixi. Hoc Bochartus arripuit, atque ad *pelicanum* transtulit, paululum mutata ſcriptione: male ille quidem, ſuaeque, ut ſolet, ſententiae nimis cupide, ipſo Kimchio פלקון ut venetoriam avem deſcribente, quem in uſum ſalcones adhiberi notiſſimum, maxime in Oriente, atque olim: ſed vel nunc ſalcone ardeam venari ſolemus, quod Germanico vocabulo *Reigerpeitz* dicimus.

4) Bochartus, adcuſata aliorum in vertendo licentia, recentiorum maxime, ipſe ex ſola conjectura etymologica, onocrotalum interpretari auſus eſt, huc quoque, ut vidimus, Raſchium, mutata lectione trahens. Mera conjectura, omnium oppoſita veterum, ſi qua eſt, auctoritati, ac ne etymo quidem aeque probabili, ut pleraeque interpretationes, fulta. Sed et ſunt, quae plane obſtant, primo quod Pſ. CII. כוס avis eſſe videtur ſolitaria, ruinarum incola, onocrotalus gregarius quam maxime, in ripis paludum habitans, paludibusque adeo ipſis: deinde quod onocrotalo potius קָאַת nomen, quod vide infra.

1120. כור, *rotundus fuit.*

Verbum in codice Hebraico nuſpiam occurrit, ex Arabicae tamen linguae uſu, quem quodvis lexicon conſultum te docebit, *rotunditatis,*

et

et *convolutionis in formam sphaericam* notionem habuit: hinc praeter ea, de quibus sigillatim deinceps agemus, nomina, ortum, 1) כר *corus*, mensurae nomen, solent enim pleraeque mensurae rotunda forma esse. 2) כִּיּוֹר *labrum*, *olla*, *pyra*, *rogus*, forte et 3) כירים de quo sub כי agemus, 4) quadriliterum כִּכָּר, cum ubi talentum significat, solent enim et pondera majora orbiculari forma esse, tum ubi tractum, ut, ככר הירדן *orbem*, seu *circulum Jordanis*, ut nos germanice diceremus, *der Jordans Crais*, *der Saal-Crais* &c.

1121. כוֹר *catinus*, *fornax ferraria.*

In rei summa aberrare a vero lexicographorum interpretumque nemo potuit, rei tamen metallicae imperitia non satis de vocabulo distincte adcurateque exposuerunt. Ergo sic habe:

I) כור הברזל, *fornax ferri*, Deut. IV, 20. 1 Reg. VIII, 51. Jerem. XI, 4. neutiquam est, ut in Vulgata vertitur, *fornax ferrea*, sed, *fornax seu officina ferraria*, Germanis, *hoher Eisen-Ofen.* Rotunda solet esse forma, unde nomen ductum, triginta fere aut plurium pedum altitudine, strata habens carbonum, mineraeque ferri contusae, sibi invicem imposita, ita tamen, ut summum stratum carbonum esse oporteat, ingenti folle ignem exsufflante, qui pulcrum oculis et terribile spectaculum praebet, ut superstitioso ignis fere infernalis imaginem mentiatur. In hac fornace ferrum ex minera excoquitur, flagrantissimo et acerrimo, quem ars metallurgorum efficere potest, igne. Non est hic *catinus*, ut sibi ex lexicographis aliqui persvaserunt, rei metallicae officinarumque ferrariarum imperitia.

II) *Catinus communis, in quo metalla liquantur et purgantur*, (Schmeltztiegel) ipse quoque a rotunditate dictus: Ezech. XXII, 18. 20. 22. Jes. XLVIII, 10. quae quidem loca satis recte et lexicographi intellexerunt, et interpretes.

III) Proprie, *catinus auro purgando*, nobis, *feuerfester Schmeltz-tiegel*, oppositus communi, in quo argentum purificatur. Sic quidem ponitur, opponiturque alteri, Proverb. XVII, 3. מצרף לכסף וכור לזהב. Nempe acriore et intensiore igne opus est, auro quam argento purificando, tanto nempe, ut vel argentum auro admixtum, in scoriam redigat: catinus ergo et ex alio terrae genere, quod tanto igne non liquescat, faciendus. Res metallicas hic explicare nequeo, sed consule *Schluiterum* in parte secunda libri, *Unterricht vom Hütten-wesen*, sub peculiari titulo, *Probier-Buch* et quidem de argento pag. 114. de auro p. 178. Quae ex orali metallurgorum traditione habeo, hic non explico, desperans, et a me satis perspicue latine dictum, et a lectoribus rei metallicae non adsvetis intellectum iri.

1122. כַּר vel potius, כָּר aut כֹּר *regio*, *pascualis maxime.* Jes. XXX, 23. Ps. XXXVII, 20.

כַּר et *agnum* significare et *pratum*, lexicographorum statuunt plerique, posteriore significatione duobus locis, Jes. XXX, 23. Ps. XXXVII, 20. ita apta eximie, ut aegre eam dimittas. Obstat tamen, quod nulla linguarum Orientalium vocabulum hac significatione habet, quo ductus argumento, prope irrefragabili, Schultensius negavit, כר pascuum esse. Ex veteribus quidem soli Jes. XXX, 23. praeivisse pascua vertentibus videri possunt LXX, *locum pinguem* interpretati, βοσκηθήσονται -- τόπον πίονα καὶ εὐρύχωρον. Sic et Syrus, sed forte ad illos correctus.

Mihi quidem res videtur expedita modo ad nostram radicem relatum, mutatis punctis sive כָּר adpelles, sive כֹּר. Arabibus, كُورَة pluraliter, كُوَر, *regio*, nomen geographis, ut, Abulfedae usitatissimum, sicque et Syris ܟܘܪܐ, nec putem haec nomina, ut faciunt ex lexicographis aliqui, ad Graecum χῶρα referenda, sed potius regio-

nem

nem ab *orbe*, à *circulo* dictam fuisse, plane ut Hebraicum כִּכָּר de quo sub numero 1120. diximus. Sic nostra quidem Germania in decem dividitur, ut vel pueris notum, *circulos*, *Saxoniae inferioris*, *Saxoniae superioris* &c. De gregibus ubi sermo, *regiones* erunt, eae per quas pascuntur; Jes. XXX, 23. egregie verteris, *pascenturque greges tui* כר נרחב *in regione lata*, magna pererrabunt et spatiosa pascua. Proximi vel hac parte mihi LXX. quod τόπον, *locum* verterunt. Potuerit et alibi, quod primo regionis late patentis nomen erat, usu linguae pastoritiae peculiariter ad pascua transferri, ut Ps. XXXVII, 20. *peribunt ut gloria pascuorum, in fumum consumentur*, petita imagine a pascuis, quorum siccato gramini flamma incidit, illudque absumit. Nihil tamen certi definio, cum et lectio dubia sit, et כרים ibi ad rad. כרם referri possit. Vide hanc infra, et biblioth. Or. prioris Tomum XII. p. 147.

1123. כּוֹר *regio*, maxime, *pascualis*. Jes. XIV, 30.

Eodem et retulerim Jes. XIV, 30. sed mutatis punctis, ורעו בְּכוֹרַי דלים *pascentur in regionibus vel pascuis meis pauperes*. Punctorum masorethicorum בְּכוֹרֵי דַלִּים *primogeniti pauperum*, pro, *pauperrimi*, et mihi displicent, et, si mihi diffidere sapiens haberem, displicuerunt pluribus. Plane alia ratio, *primogeniti mortis*, Job. XVIII, 31. quem huc advocat Vitringa: sic quidem morborum potentissimus recte dici poterat, at non miserrimus omnium, primogenitus pauperum, qui potius reliquis paulo beatior futurus videtur. LXX adeo et Chaldaeus versionem forte desperantes, omiserunt.

1124. כּוּשׁ Genes. X, 6. &c.

Copiosius de hoc nomine in Spicilegio geographiae Hebr. exterae T. I. p. 143-157 egimus eoque lectorem ablegamus. Summa ibi dictorum haec est:

 1) pri-

1) primo, in quo Bocharto suffragamur, eumque novis additis argumentis firmamus, duplices Cuschaeos esse, stirpe tamen eosdem, Felicis Arabiae, quae prima illorum sedes, atque in qua seculo adhuc post Christum natum sexto, Cuschaei indigenae, et Habessiniae, illorum colonos, qui ex Arabia, trajecto mari rubro, ultra desertae Africae vasta et arenosa circa fontes Nili magnam in gentem excreverunt: utrosque sacris in literis memorari.

2) deinde, in quo Bocharto contradico, כוש nuspiam nomen esse Midianitarum.

1125. כוש *Cosch regio ad Gihonem* Genes. II, 13.

De כוש *Cuschaea, cum felicis Arabiae, tum Africae*, vixdum lectores ad spicilegium geographiae ablegavimus. Neutra illarum esse potest, כוש Edenitidis et paradisi regio, quam Gihone totam ambiri Moses auctor est: non Africana, ob rationes ubi de Gihone agebamus indicatas, non Arabica nullum omnino fluvium habens, immensisque desertis ab Euphrate et Tigride, ad quos paradisus fuit, sejuncta. Dubitari adeo potest, rectene punctorum auctor nomen per Schurek extulerit כּוּשׁ, suspicione, licet nondum certa, *Cosch*, כֹּושׁ nomen adpellandum esse.

Aliquam soni similitudine invitante Coschaeam nobis dederunt, alii aliam, eruditorum, forte veri non dissimiliter, si quis illam Gihon fluvius ambiret: sed eo solo caremus, quemque non habent, conjecturis supplent. Sic Clerico, ut p. 295 diximus, Casius mons est, cujus radices aliqua parte alluit Orontes, quem nullo indicio vir alias doctus, sed geographiae orientalis imperitissimus, quique geographum Arabem nunquam legisset, aut legere potuisset, in Gihonem mutat. Huetius, qui nullo teste, nullo nominum concentu, exitum Tigridis Orientalem in sinum Persicum Gihonem esse jusserat, ad hunc fictum Giho-

Gihonem inveniſſe ſibi viſus eſt Cuſchaeam, *Chuſiſtan*, quam male in delineationibus Perſiae Churiſtan ſcribi recte docuit, multiplicis eruditionis, ſed quae hujus loci non eſt, prodigus. Nomen regionis ſi unquam literis Orientalibus ſcriptum legiſſet, vix putem cum כוש confuſurum fuiſſe, cui non niſi unica litera Vau concinit. Elymais proprie ſic dicta, ad Orientem Tigridis, in quatuor dispertita eſt provincias, quarum una هُوزِسْتَن (*Huziſtan*) vocatur, aliisque nominibus, اهواز (*Ahvaz*) ܒܝܬ ܗܘܙܝܐ, nomen Hebraice ſcriberes, הוז, altera خُوزِسَتن pro quo nomen per errorem alii خورستن (*Churiſtan*) ſcripſere, Hebraicis literis, חוז. Utrumque nomen, utcunque literis Europaeorum ſcriptum, Graecis maxime et Latinis, cum כוש convenire videatur, ex Orientis tamen non ſolum orthographia, ſed et adpellatione eſt a כוש diverſiſſimum. Haec omnia Abulfedam inſpicienti liquida, ſed typis nondum deſcripta ea pars geographiae, quae de his agit regionibus. Nec obverteris, Chuziſtanae nomen Syros per Caph ſcribere, ܟܘܙܣܬܢ, Arabicarum enim literarum tironibus notum, Syros ubi Arabica ſcribunt, خ per Caph Raphatum exprimere, licet hae literae nunquam inter ſe permutentur.

Ad Gihonem quidem Chovarasmiae ſine dubio habemus, metropolim olim totius regionis, cujus nomen Hebraicis literis ne aliter quidem quam כוֹשׁ ſcribi poſſet (*), Arabum geographis كَاث dictam. Abulf. pag. 11. Chovarasmiae: كاث هي قاعدة الخوارزم في القديم في شرقي جيحون *Cath metropolis olim fuit Cho-*

(*) Nempe pro ث Arabum ſemper Hebraei habent שׁ (vide gramm. Arab. §. 2. n. 3.) et pro A longo, O longum, ut in participio Kal קוֹטֵל, قاتل

Chovarasmiae ab Oriente Gihonis. Haec quidem metropolis immensae ad Gihonem regioni nomen dedit, aut ab ea accepit, quod et regioni mansit, postquam Cath desiit metropolis esse, inque ejus locum *Balch*, urbs ad Gihonem celeberrima, successit, quam in delineatione d'Anvilliana invenies sub gradu longit. 83. latitudinis 37. *Cusaeorum* certe gentem ibi in historia Armeniorum a Mose Chorenensi scripta, ut notissimam invenies: p. 84. *in urbe Orientis, quae vocatur Balcha, in regione Cusaeorum posita,* (quibus in verbis, non intellectis, quod hanc Cusaeam ignorarunt, mire sudarunt Whistonii) itemque p. 187. 188 (ubi *Cusaeorum* terra ad Bactriam refertur, inque illa sita *Balha*, atque incolae *Balhuenses* dicuntur) 192. 193. 195. Ergo sine dubio ad Oxum (i. e. ad Gihonem,) olim fuit, et usque ad Mosis Chorenensis tempus, i. e. usque ad seculum quintum, nomen retinuit, Cusaeorum regio.

Haec cum a me multos ante annos in lectionibus academicis disputata audivisset, Joannes Rothe, ecclesiae Mellendorfiensis in ducatu Cellensi pastor literis anno 1768 ad me datis, insignem mihi Curtii locum indicavit, in quo eosdem ad Oxum *Cusaeos* vel *Cusitanos* sibi invenisse videbatur. De Alexandro quidem, Bessum persequente, qui ultra Oxum fugerat, Bactrianorumque regionem intrante, Curtius l. VII. c. 5. §. 1. *ipse cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat* (*). Notabat, *Sogdianorum*, hic, et in reliquo capite, non lectionem esse codicum manuscriptorum, *Susitanorum*, habentium, sed Glareani emendationem, quae Freinshemio aliisque placuerit; sibi autem videri, *Susitanorum*, potius in *Cusitanorum* mutandum fuisse. Non possum non viri doctissimi, cujus elegans ingenium suspicio, conjecturae accedere:

(*) Vide Freinshemii comment. ad Curt. l. VII. c. 5. §. 1. et 19.

cedere: *Susitani*, ibi locorum nulli, estque sphalma manifestum, sed, *Sogdianorum* et *Susitanorum* nomina ita literis et sono diversa, ut veri-dissimilis videatur Glareani emendatio, nec opinabile, pro notissimo Sogdianorum nomine librarios aliud Susitanorum fuisse substitutos. At a *Cusitanis* ad *Susitanos* facilis erranti librario transitus. Ergo jam Alexandri M. tempore circa Oxum *Cusitani* celebres.

Caeterum haec ad Gihonem Chovarasmiae Cuschaea quantumvis videatur certa, praeferrem tamen, si qua monstrari circa origines Euphratis Tigridisque, aliusque ad eam Gihon fluvius possit, ut jam supra p. 299 professus sum. Verum non hanc conjecturis, non hariolis debere velim, quales philologi saepe esse in antiqua geographia solent, sed exploratoribus eruditis, si quibus aliquando contingat ad hanc prope incognitam terram, nostrisque hucusque inaccessam, iter facere.

1126. כושי 2 Sam. XVIII.

כושי *Aethiopem* significare, *Nigritam*, eundem qui Arabibus أسود, adpellative, satis notum: at 2 Sam. XVIII, 21. 22. 23. 31. 32. pro nomine haberi proprio solet, *Cuschi*. Et tamen obstat, plerisque non animadversum quod v. 22. 23. 31. 32. cum He demonstrativo, nominibus propriis negato, הכושי legitur! Ergone adpellativum faciemus, *Nigrita?* Sed obstat v. 21. ubi כושי sine He, plane ut nomen proprium legitur, nec enim vertere indefinite ausis, *und ein Mohr lieff.* — — Mihi quidem lis ita videtur componenda, ut utrumque verum sit: fuerit is, de quo sermo, natalibus et colore Aethiops, Nigrita, sed inde ei et nomen ductum, ut vel apud nos, *Mohr*, in nominibus propriis habetur.

1127. כושן Hab. III, 7.

Nomen populi, cujus tentoria contremuisse dicuntur, Israelitis duce Deo mare Erythraeum trajicientibus. Male Midianitas intellexe-

 runt

runt Bochartus et post illum alii, infeliciore adeo conjectura, quod Cuschaei sunt Chamo oriundi, Abrahamo Midianitae. Vide iterum Spicilegium geographiae nostrum P. I. p. 146. — — At Cuschaei Felicis Arabiae, de quibus ob similitudinem nominis cogitarunt alii, nimis a loco trajectus videntur remoti, quam ut ad illos terror pertinere transitus, aut omnino fama pervenire potuerit. — — Huic tamen dubio occurri posse credo: nec enim sermo de populo, fixas sedes in australi Arabia habente, sed de Nomadico, de *tentoriis Cuschan*, אהלי כושן. Cuschaei Nomades, ut olim Babylonem usque, quam ipsi quidem condidisse creduntur, (Genes. X, 8-10. XI, 1-9.) sic et ad viciniam usque aut trajectus aut certe Midianitarum, quibuscum eorum conjungitur mentio, pererrare Arabiam potuerunt, ac magnitudine portenti cohorrescere.

Est tamen, quod satis verisimilem explicationem dubiam reddit, *AN* in fine nominis, nuspiam alibi addi solitum. Persicam terminationem STAN, ut *Cusistan*, noli huc advocare, ut enim taceam, Persicorum nominum usum recentiorem esse, non hic STAN sed AN nomini כוש additur. Ὁμοιοτέλευτον *poeticum* ad *Midjan*, alii voluerunt: sed et hoc Hebraeis insolens. Forte melius consulere vocabulo possis punctis mutatis, אהלי כּוּשָׁן *tentoria Cuschaeorum*, sed et hoc, nescio quam ob caussam, probare mihi non potui. Varietas lectionis nulla.

Arabia deserta cum parum sit cognita, suspicari possis, aliquem nobis ignotum adhuc populum aut locum כושן in ea latere, forte Cuschitarum Arabiae Felicis coloniam. Dies forte nos ut multa docuit, olim ignota, sic et hoc docebit. Non repudio verisimilem sententiam, supra dictam, sed adhuc dubito, qua via ad verum et certum saepe perveni.

1128.

1128. כּוּתָה 2 Reg. XVII, 24.

Nomen proprium regionis ex qua reges Aſſyriae colonos in devictam Palaeſtinae partem deduxerunt, toti aliquando genti nomen daturos, Samaritani enim et ſua lingua et Judaeis כּוּתִים ſunt.

Variae fuerunt de hac gente ſententiae. Plerique Joſephum ſequuti, ab Oriente Tigridis ſedes illi adſignarunt, licet in nominis veſtigiis indagandis non prorſus unanimes, ſed id quidem parum officeret. Sic quidem ille, Antiqu. libr. IX. c. 14. §. 3. *οἱ δὲ μετοικισθέντες εἰς τὴν Σαμάρειαν χουθαῖοι, ταύτῃ γὰρ ἐχρῶντο μέχρι δεῦρο τῇ προσηγορίᾳ, διὰ τὸ ἐκ τῆς χουθᾶς καλουμένης χώρας μεταχθῆναι, αὕτη δ' ἐστὶν ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτ' ἔχων ὄνομα: Chuthaei, ſic enim in hunc usque diem vocantur* (Samaritani) *a Chutha quae eſt Perſidis regio, cum fluvio cognomine.* Perſidis eum nomine paulo latius uti putem, ut et Elymaidem, Perſidem inter et Tigrim, in quatuor illam regiones diviſam (*), complectatur. Chronicon Alexandrinum et Zonaras Joſephum ſequuntur, quorum verba non excerpo, quod nihil novae adferunt auctoritatis: excerpta tamen ſi legere cupias, invenies in Cellarii *collectaneis hiſtoriae Samaritanae*, qui ipſe in has partes iit, et, in rei certe ſumma, alii ex eruditis viri primarii, Bochartus, Huetius, Hyde (de religione Perſ. c. II. p. 38.) Clericus. Horum aliqui כּוּתָה ortum a כּוּשׁ volunt, frequente Aramaeis utriusque literae permutatione, Coſſaeos etiam veterum ibi locorum degentes memorant, كَوثا (vel كَوثي) urbem Iracae hodiernae memorat Hydius, de cujus ſitu vide d' Anvillium in ſuo *Euphrate et Tigride* p. 137. tabulamque geographicam praemiſſam. Sola adſcribo nondum editi Abulfedae verba, ex Iracae deſcriptione, num. 286. maxime cum Reiskius in latina ſua Abulfedae interpretatione

(*) Vide de ea Aſſemani biblioth. Orient. T. III. P. II. p. 419-421.

ne ita reddiderit, ut ne nomina quidem urbium noſcere detur (*). Sic ergo ipſe Abulfeda: ومن مدينة نهرملك الي مدينة كوتي فرسخان ومدينة كوتي لها سوق وجامع ومنبر وبين كوتي وقصر ابن هبيرة ستة فراسخ *inter urbem Naharmalc et Cuta duae ſunt paraſangae. Urbs autem Cuta forum habet, et templum cathedrale. Cutham inter et Kasr-Ibn-Hobeira ſunt ſex paraſangae.* Vide et lexicon Syriacum ſub, ܟܘܬܐ. Addo his nominis veſtigiis regionem *Cuſiſtan*, p. 1251. memoratam, quae Coſſaeorum fuiſſe, illisque nomen dediſſe videtur.

Eſt haec ita veriſimilis explicatio, ut, niſi multo ſe melior, ac prope manifeſta offerat atque adeo obtrudat, non deſerenda videatur. Recte ergo Cellarius p. 13. *collectaneorum hiſtoriae Samaritanae*, mirari ſe ait, magnum Scaligerum, ad Propertii libr. I. eleg. 1. de Medeae patria diſſerentem, ex Colchide, in qua Κυταία urbs, Cuthaeos in Samariam deductos derivaſſe. Majus etiam quod Scaligero opponi poſſit, eſt, quod ex כותה, quae toti Samaritanorum populo nomen כותים dedit, plerique colonorum novorum veniſſe videntur: hi ſi ex Colchide, barbaram linguam regioni intuliſſent, at Samaritanorum lingua ſine dubio Aramaea, et vero occidentalis. Elymais contra, cujus pars Chuſiſtana, a Semo incolis conſita, (Geneſ. X, 22.) Aſſyriisque et Aramaeis fraterna, dialecto forte Aramaea uti potuerit. Subfueritne Aſſyriis, id incertum.

Sed haec alia faciunt omnia ipſae Samaritanorum, כותים proprio nomine dictorum, literae, quibus ſe, *Sidonios*, jam vocari jam eſſe, dicunt,

(*) Sic quidem ille in *Büſchings* Magazin T. IV. p. 261. *Abeſt ab urbe Sarſar duas paraſangas, totidemque ab urbe Kawa, quae urbs Kawa et Coi habet forum, et templum magnum cathedrale, et abeſt a Kasr Ibn Hobeirah ſex paraſangis.* Aliterne in ſuo codice legebat Reiskius? an ad puncta et ductus non attendens male vertit?

dicunt, prout alterutrum lubebat, videbaturque utilius, excerptae a me ex Josepho, in Spicilegio geogr. T. I. p. 105. Sic illi, (Antiqu. XI, 8, 6.) Alexandro Magno, Ἑβραῖοι μεν εἶναι, χρηματίζειν δὲ οἱ ἐν Σικίμοις Σιδώνιοι, *esse se Hebraeos, sed vocari, Sichemae habitantes Sidonios*, — — Antiocho Epiphani, (Ant. XII, 5, 5.) βασιλεῖ Ἀντιόχῳ θεῷ ἐπιφανεῖ, ὑπόμνημα τῶν ἐν Σικίμοις Σιδωνίων, inque his ipsis literis de suae gentis origine ita: *cum ortu simus Sidonii, idque ex tabulariis nostrarum civitatum manifestum sit*, (ὄντων ἡμῶν Σιδωνίων, καὶ τοῦτο φανερόν ἐστιν ἐκ τῶν πολιτικῶν ἀναγραφῶν). In eodem monui spicilegio, צידון Pseudojonathani Genes. X, 19. כותנים, et Chaldaeo chronicorum interpreti, 1 Paral. I, 13. כותניאס esse, atque adeo a Josepho Abassi mihi relatum, tertio adhuc a Sidone milliari urbem *Cuthin* superesse. Haec quidem non tota excerpo, sed in spicilegio relegi velim.

Estne cum hoc כותה, et Chaldaico Sidonis nomine, כותן, cognatum, aut idem, Phoenicium *Cothon*, *portus artificialis*, de quo Servius ad Virgilium, *Carthaginienses Cothone, fossa, utuntur, non, naturali portu*, et Strabo libr. XVII. p. 1189. de Carthagine: ὑπόκεινται δὲ τῇ Ἀκροπόλει, οἵ τε λιμένες, καὶ ὁ κωθών, νησίον περιφερὲς Εὐρίπῳ περιεχόμενον, itemque de aliarum urbium Cothone, *Hirtium* belli Africani c. 62. 63. Mihi jam non vacat, in haec inquirere curiosiora; inquisituros celare quaestionem nolui. כותה, כותן, קמקן, قُطَانَة (*olla*, *lebes*) illis se offerunt.

1129. כחד, *negavit*, *abnegavit*, *celavit*, *exscidit*.

Celandi, *occultandi* significatio ex lexicis omnibus nota, atque indubia, sed ignota reliquis linguis Orientalibus, nisi quod Chaldaeis אתכחד est, *exscindi*, *deleri*. Sub alia tamen ac cognata notione, *ne-*

gandi, *abnegandi*, habent Aethiopes, et paulo molliore sono, جحد Arabes (*): Syri, sub *pudoris*, et *erubescendi*.

I) Illa *negandi*, *abnegandi* significatione verbum accipiendum videtur in librorum antiquissimo, Job. VI, 10. לא כחדתי אמרי קדוש, *non abnegavi verba dei*, LXX οὐ γὰρ ἐψευσάμεν ἐν ῥήματι ἁγίου, Syrus, ܠܐ ܟܦܪܬ. Forte et huc referendum Job. IV, 7. ואיפה ישרים נכחדו *et quando justi abnegati*, i. e. relicti, deserti sunt a deo, ut et Arabibus de beneficii recusatione poni solet: licet non negem, excisionis et internecionis notionem, a LXX et Vulg. praelatam, locum ibi egregie tueri.

A negandi, abnegandi notione fluxit altera, Hebraicis lexicis notior.

II) *celavit*, *occultavit*, ita utraque cognata, ut alicubi vix expedias, utram praeferas, an utramque conjungere praestet, ut, Jos. VII, 19. Ps. LXIX, 6.

III) Cognata et Syriaca, *erubuit*, qua quidem apud Hebraeos verbum legere non memini: ita tamen accepit Syrus Job. IV, 7. ܐܝܟܘ ܬܪܝܨܐ ܕܐܬܒܗܬ *ubinam rectus, qui pudefactus est?*

IV) *Excidium* et *internecionem* ad occultationem fere referunt, ego malim, ad abnegationem, ea, quae interierunt abnegat tanquam locus, negatque se vidisse. Simillimam phrasin habes, sed in alio verbo, Job. VIII, 18. *locus ejus*, כחש בו לא ראיתיך *abnegat illam* (arborem): *non vidi te*. Adde Ps. CIII, 16.

De Zachariae ovibus נכחדות, c. XI, 9. 16. dubitari posse video. *Excidii*, *internecionis* notio, quam fere sumunt, vix apta videtur, primo, quod versu nono oves moriturae, (מתה) distinguuntur a נכחדות

(*) Exempla si cupis, larga manu dedit Castellus, ex quo disces omni *negandi*, *abnegandi*, *mentiendi* latitudine verbum sumi.

נכחדות, deinde, quod v. 16. malus paſtor non reſpecturus eas dicitur, (את הנכחדות לא יפקד) mortuas enim oves quis curet? quis reſpiciat? Suſpicor, נכחדות hic eſſe, ſive, *abnegatas*, i. e. *neglectas*, (ſic Vulgata Zach. XI, 16: *derelicta*) ſive, *occultatas*, i. e. quae a grege aberrarunt, inque ſilvis latent. Sic ibidem Chaldaeus דְּטָעַן *errantes*. Utrumque ſententia prope idem, ſolo diverſum etymo.

1130. כחש *mentitus eſt*.

Verbum Hebraeis quodammodo peculiare, in linguis ſororiis obſoletum: nec enim Arabes habent, nec Syri, nec Samaritani, nec hac quidem notione, Aethiopes; ſoli, quibus ſupereſt, Chaldaei, a Judaeis Chaldaice ſcribentibus habere videntur. Reliqua ex lexicis melioribus peti velim, in quibus ad hoc verbum Stockianum numero.

1131. כָּחָשׁ *mendax*.

Ex codice maſorethico non citatur niſi Jeſ. XXX, 9. ubi בָּנִים כֶּחָשִׁים, *filios mendaces*, degeneres interpretantur, non male, quamvis et poſſis *refractarios*, *mendacii arguentes* patrem, eique contradicentes, Arabice مُكَذِّبُون intelligere, ſequenti, *nolunt audire*, apte. Solitum tamen, non certa quidem ratione ſed aurium judicio, (forte a pueritia illi adſvetarum) praefero.

At praeter hunclocum ita mutatis legendum mihi videtur vocalibus, Job. XVI, 8. *teſtis fit, et ſurgit contra me*, כַּחָשִׁי *mendax adcuſator*. Sic jam Symmachus, ἀνέστη μοι ὁ καταψευδόμενος.

Inſignis Geneſ. III, 2. in ſex codicibus Samaritanis lectionis varietas. הכחש pro הנחש. Per totum illa ſi caput obtineret, magnopere ſententiam mutaret: הַכָּחָשׁ enim, *mendax κατ᾽ ἐξοχήν*, diabolus foret, ſimillimo nomine دَجَّال Arabibus. Sic quidem haec lectio ſerpentem plane abrogaret, mutaretque in diabolum, placitura, ſi adhuc

adhuc viverent, non paucis theologorum noſtrorum, qui ſub initium fuerunt ſaeculi, Joachimo Langio, aliis, ne ſub נחש quidem ſerpentem, ſed merum agnoſcentibus diabolum. Evolvantur codices Samaritani, habeantne et aliqui in reliquo capite, verſioneſque Samaritanae, cum Aramaea tum Arabica lingua factae. Nec equidem lectionem probarem, quae conjecturam theologicam, Samaritanis frequentem, ſapit: in lexico tamen vocabulum inſignis variae lectionis omittere nefas duxi. Explicandum erat, ut vel varietas lectionis intelligeretur, poſſetque expendi.

1132. Particula כִּי.

De nomine ſupra num. 1109. actum, hic de particula, nec notas ſignificationes repeto, ex quovis bono lexico, aut Noldio, aut uſu quotidiano ſumendas. Sed negotium aliqua faceſſunt difficiliora, quibus illae non aptae.

1) Sunt aliqua, maxime Jeſaiae, loca, in quibus כי comparativum eſſe videtur, idemque quod כן, fere ut apud Thalmudicos, de quibus Buxtorſius lex. p. 1030: כי *apud Thalmudicos ſaepe ſeparatim ponitur pro ſimplici* כ *ſimilitudinis*, דקליל כי טביא, *qui levis eſt inſtar capreae, id eſt* כטביא. — — Jam habe Jeſaiae loca et expende: LV, 9. כי גבהו שמים מארץ כן UT (i. e. quantum) *coelum altius eſt terra,* ITA *altiores ſunt viae meae viis veſtris.* (Utrumque hic ſolent exprimere interpretes, QUIA SICUT, LXX. Vulg. Syr.) LXII, 5. כי יבעל בחור בתולה *ut juvenis ducit virginem, ita te ducet* &c. (LXX *καὶ ὡς συνοικῶν νεανίσκος παρθένῳ, οὕτω* &c. Syrus et Chald. QUIA SICUT). Forte et huc retuleris, quamquam dubitabilior ibi et lectio et explicatio, c. LIV, 9. כי מי נוח זאת לי *ut aqua* (diluvium) *Noachi hoc erit mihi.* Huc et, ſumta varia lectione לי pro לו (*), retuleris Job. VI, 21.

כי

(*) biblioth. Or. prior T. III. p. 218.

כי עתה הייתם לי, *sic mihi* (tales mihi) *jam fuiſtis:* ſed de hoc loco nihil adſirmo, quod lectio לי a codicibus hucusque excuſſis non confirmata eſt.

2) Eſt et ubi כי interrogative, *quomodo?* accipi videtur. En loca: Jeſ. XXXVI, 19. *ubinam ſunt Dii Hamathae, Arphadae, et Sippharenorum,* וכי הצילו את שמרון מידי, (ſeu, ut eſt in loco parallelo 2 Reg. XVIII, 34. כי הצילו) *num eripuerunt Samariam Dii ejus ex manu mea:* pro quo in libro regum tres codices habent, non dubia ſententia, ההצילו num *eripuerunt?* Interrogative quidem utrobique accepit Syrus et Vulgata. — — Jeſ. XLIII, 22. כי יגעת בי ישראל vertine poſſit: *num laboraſti ob me* (operam mihi quaerendo dediſti) *Israel?* — — Jeſ. XLIX, 19. כי חרבותיך ושוממותיך *ubinam ſunt rudera tua et devaſtata?* Forte eodem et retuleris 1 Reg. VIII, 27. 1 Paral. IX, 14. ſed haec dubitabiliora. — Nec interrogativa ſignificatio uſu linguarum orientalium deſtituitur: Thalmudicis, ut jam monuit Buxtorfius, וכי frequentiſſime, *num? numquid?* Arabibus كَيْفَ, ex كَيْ compoſitum, *quomodo?* Syris etiam ܟܒ in interrogationibus uſitatum, ſed ita, ut poſtponi ſoleat Matth. XVIII, 1. ܡܢܘ ܟܒ *quisnam eſſet maximus?* Luc. I, 66. ܡܢܐ ܟܒ ܢܗܘܐ *quid futurus eſſet puer?* Videtur כי interrogative poni, ut Graecum γὰρ, Latinum *nam*, cum in *quisnam* ſimilibusque, tum et aliquando ſeparatum, ut, *Nam quis te juvenum confidentiſſime noſtras juſſit adire domos?*

Non eadem me hic dicere, quae Noldius ſub n. 2. et 3. habet, exemplis multis, ſed incertis firmata, aut paraphraſtice כי *utrum?* vertens, intelligent, qui illum contulerint. Interrogativam ille notionem particulae dat ex conjectura, ubi ea haud opus, non certa ac vix veriſimilia exempla adferens, orientalium linguarum nihil. Nec

 tamen

tamen ipſe de his, quae attuli, locis, quidquam definio, ſed cum lectoribus delibero.

1133. כִּיד *dolus*, *ſtratagema* Job. XXI, 20.

Lexicographorum primi, et Rabbini, de vocabulo utcunque conjecerunt, recentiores, ex quibus Coccejum nomino, recte cum Arabico كَيْد *dolus*, *ſtratagema* contulerunt, dolum ſeu ſtratagema dei interpretantes. Phraſin ex Arabismo illuſtravit Schultenſius, cujus omnia ad hunc verſum ſcripta, lectu digna. Addiderim phraſin Muhammedi frequentem, والله خير الماكرين *deus optimus*, i. e. aſtutiſſimus *eſt deceptorum*, capit ſapientiſſimos, inſidiasque illis ſtruit, ut, dum deum decipere volunt, ipſi miſere decipiantur.

Simonis quod habet, *conculcatio*, *a radice Aethiopica* כוד *conculcavit*, ſumtum, ni fallor, ex Caſtello, ſimilia habente: Aethiopibus quidem, ut vel ex eodem Caſtello diſces, כוד eſt, *calcare*, *conculcare*, quod quidem cum nec Arabibus nec aliis cognatis populis ſignificet, accepiſſe eam vim videtur confuſione duorum verborum ſono ſimilium a כדד, de quo vide ſcripta pag. 1213.

Syrus, ܐܒܕܢܗ *interitum ejus* vertens, per Beth, בידו legiſſe videtur, quam lectionem duo Kennicotti codices, 89 (Cantabrigienſium primus) et 150 (Berolinenſis, pluribus lectionibus rarioribus inſignis) habent: Arabs certe ex Syro vertens, harmonice بَوَارَهُ repoſuit.

1134. כִּידוֹן 1 Paral. XIII, 9.

Vide, quae de נָכוֹן 2 Sam. VI, 6. ſcripſimus, num. 1114. Nomen proprium haud videtur eſſe, ſed adpellativum, ſynonymum ejus, quod in Samuelis libro legitur, נָכוֹן. Poſſit eſſe, ſive

1) area *propinqua*, quae erat in proximo, a كان pro كون *prope fuit*: ſive

2)

2) area *cumuli*, i. e. in qua ſtratum et accumulatum frumentum erat, triturae paratum, a كَوَّنَ *accumulavit*, unde كَوْنَة *congeſtus acervus.*

Poſterius probo, ob rationes ſupra ſub כִּכּוֹן indicatas.

Ex veteribus, Graecis et Latino nomen viſum eſt proprium. Chaldaeus ita vertit, ut in loco parallelo legebat, מְתַקַּן *paratam*, Syrus, ܕܟܝܕܘܢ ܢܥܒܪ, quod pro nomine proprio habuerunt editores, atque adeo Arabs, اندر امين vertens, male, ut mihi videtur: nomen enim proprium *Chidon* quis in *Ramin mutet.* Ego malim ܒܟܕܘܢ *in aream quam ſternebant*, i. e. *congeſto frumento* inſternebant.

1135. כִּילַי Jeſ. XXXII, 5. 7. *fraudulentus.*

Pono, ubi per errorem ſolitum quaeri ſolet. Nempe inde a Kimchii tempore, ut veriſimilem ſibi conjecturam modeſte ponentis, ad radicem כול *menſurare* lexicographorum retulerunt plerique, *avarum*, omnia curioſius menſurantem intelligentes; alii, eadem manente *avari* ſignificatione, ſed minus favente grammatica, ad כלא *cohibuit*, *retinuit*: omnes ex mera conjectura etymologica, nullo linguarum orientalium uſu *avarum* firmante, veterum interpretum ne uno quidem praeeunte. Sed his non conſultis, repetebant tralatitia, mirumque, illis credebatur.

Ad כול vel כיל ſi referendum omnino כִּילַי, vel, ut v. 7. ſcribi ſolet, כֵּלַי, (quamquam vel ibi octo codices כילי habent) puſillanimem vertere malim, (*den Poltron*) a كَيِلَ *puſillanimis fuit*, ac nomine, كَيَّال *puſillanimis.* Bona ſententia: *timidum non amplius vocabunt rupem*, et v. 7. *timidi enim machinationes ſunt maleficae.*

At veram ac prope certam verſionem dudum praeiverat, quae mihi reliquis palmam fere ubique praeripere videtur, Vulgata, *fraudu-*

lentum utrobique habens, a כבל, quod vide infra, ut כילי ſit pro בכילי. Eodem forte et referendus Chaldaeus v. 5. לדעברו על מימריה *qui migrant verbum EIUS*, ſeu, una litera demta, *qui migrat verbum SUUM*. Fraudulento egregie opponitur, *petra*, *ſaxum*, ejusque arma malefica dicuntur. Judaeos ſi hoc fugiebat, mirum chriſtianos non ſua in lexica recepiſſe. Ipſam inſpice Vulgatam, et placebit.

Quaeras forte, quid reliqui habeant interpretes? Syrus utrobique ܣܪܝܩܐ, *vanum*, *inanem*, LXX v. 5. *miniſtros*, (καὶ οὐκέτι οὐ μὴ εἴπωσιν οἱ ὑπηρέται σου, σίγα) hoc unde? et magna inconſtantia v. 7. generali nomine uſi, πονηρούς. Conjeciſſe de ignoto vocabulo videntur.

1136. כִּימָה *Pleiades*, Amos. V, 8. Job. IX, 10. XXXVIII, 31. exque varia lectione, XV, 17.

Ante omnia notemus, tria ſiderum nomina, כימה, כסיל et עש vel עיש, aliquoties componi, cujus rei conſequens eſt, ut in verſionibus aliquando transponantur, incertum, utrum librariorum culpa, an ipſorum interpretum, tria animo aſtra complexorum ſed eodem ordine non reponentium: de quo utcunque ſtatuas, manifeſta transpoſitio, niſi interpretes, Syrum Syro, Graecum Graeco, et vero in eodem libro ſibi contradicere, ſecum pugnare, decernamus.

Sunt tamen et magni in his nominibus ac veri diſſenſus interpretum, nec id mirum in aſtrorum nominibus, plerisque ad biblia vertenda accedentibus vel in ipſo coelo, linguaque vernacula ignotorum. Feliciter ab eo ordimur, quod reliquis certius, cujus interpretationem ſi lectoribus adprobaverimus, licebit nobis in ſequentibus eos expungere interpretum errores, qui Pleiadas pro alius aſtri nomine ſubſtituunt. In hoc quidem cognatarum linguarum uſus, magna veterum interpretum prope univerſorum auctoritas, atque etymologia, in Pleiadas conſentiunt, ut prope dubitari nequeat. Nec eſt lexicographis ignota explica-

plicatio, ſed prope communis, ita tamen, ut non pauci dubitent, aliasque etiam habeant, ergo tota ab initio quaeſtio retractanda.

Ad veteres quod attinet, primo

1) Linguae beneficio, non ignorantiae neceſſitate, retinent Syrus et Chaldaeus, quo ipſo facto feliciter nobis certam ad inveniendum verum viam monſtrant. Habet ipſiſſimum vocabulum lingua Aramaea utraque, nec quid ei ſignificaverit ambigi poteſt. Arabs, Jobum non ex Hebraico exemplo, ſed ex Syriaca verſione interpretatus, pro ܟܝܡܐ, ثريا *Pleiades*, habet, cujus Arabici nominis de ſignificatione ne dubites, aut ne opus habeas lexicis credere, evolve *Ulugh Beighi tabulas fixarum*, pag. 64-67. ſub ſtellarum numeris 29. 30. 31. 32. Thomaeque Hyde ad haec commentarium p. 31. 32.

Mirus vero hic dubitator, magnus in commentario in Jobum Albertus Schultenſius. Suſpectum illi, quod lexicographus Syrorum BarAli ſub ܟܝܡܐ habet, ثريا, *Pleiades*, veretur enim, ne ex Syriaca verſione libri Jobi ſumſerit. Mihi vero hujus verſionis, modo recte deſcripta ſint Arabica, multo major eſt auctoritas, quam, non BarAli ſolum, ſed multorum lexicographorum. Homo, Syrus gente, qui cum latius pateret ſub Saracenorum imperio linguae Arabicae uſus, multique ex Chriſtianis jam Syriaca non intelligerent, Jobi *unum* librum, (eſt enim ab interprete reliquorum bibliorum diverſus) ex Syriaco fecit Arabicum, vocabulum Syriacum, nec ex rarioribus, ſed frequens, illuſtrisque, quod quisque vel aſtronomiae incurioſiſſimus in coelo conſpicit, ſideris, non intellexerit? atque ter, eodem in libro, prave verterit, eundem errorem ter repetens? Diffidere a ſe ipſa ſolet errans ignorantia. Nec feſtinatio, aut magnitudo operis erroris ſuſpicionem injicit: unum enim, ut dixi, li-

 brum,

brum, non tota biblia, vertit, qui Jobum fecit Arabicum, ut diligentiam adhibere non esset difficile.

Ergo hoc jam ut certum sumo, quod habent Syriacae linguae et Chaldaicae lexicographi primarii, Castellus atque Buxtorfius, hic quoque ex Thalmude confirmans, utrique dialecto כימא esse Pleiades, Syrumque et Chaldaeum, Hebraicum nomen linguae beneficio retinentes, de hoc illustri sidere cogitasse.

2) His accedunt LXX, in quibus Job. 38. πλείας legitur: nec eorum opponi debet auctoritati, quod minus constantes Job. IX, 9. Arcturum habeant, sunt enim ibi nomina astrorum transposita, Pleiade, quam non omittunt, alium modo locum occupante: ὁ ποιῶν Πλειάδα, καὶ Ἕσπερον, καὶ Ἀρκτοῦρον.

Aquila praeterea, Job. 38, ibidemque et in Amoso Symmachus, Theodotion in Amoso, et Job. 38 Vulgata, Pleiadas habent.

Ergo hic tandem aliquando, (in reliquis enim astrorum nominibus magis discordes), in unum sidus consentire videas, 1) Chaldaeum 2) Syrum ejusque sequacem Arabem 3) LXX 4) Aquilam 5) Symmachum, 6) Theodotionem, 7) Vulgatam.

3) Proxime a Pleiade abest, quod Vulgata habet Job. IX, 9. *Hyadas* vertens, vicinum sidus, ac Pleiadibus ita simile, ut facile confundi possit. Est enim utrumque conglomeratio aliqua stellarum in Tauri sidere, cui, nisi fallor, apud nos quoque commune est nomen, *das Siebengestirn.* Forte ergo hic memoria lapsus, cui astronomica peregrina, Hieronymus. Valde eum festinanter non scripsisse, sed dictasse, notum, soletque ipse narrare: ita festinanti facile est, Hyades et Pleiades confundere.

4) *Arcturum*, insigniorem Bootis stellam, in Amoso habet, constans alias, sententiarumque tenax, Aquila, exque illo inconstantior Vulga-

Vulgata. Est certe, quod de Aquila mireris, et curiosius inquiras, nihilne erroris admissum sit? an ipse, cum bis versionem ediderit, sententiam mutarit? Hoc si factum, jam nihil ad nos ejus Arcturus.

LXX quidem Job. IX, 9. eundem habere Arcturum videntur, sed, ut jam supra monui, nisi ipsos sibi contrarios fingas in eodem libro, ex transpositione nominum: ergo non in calculum referendi.

Hic ergo tantus plerorumque, ac pene dixerim, omnium, consensus in Pleiades, facit, ut in hoc quidem astri nomine aliquid certi et explorati tenere videamur: acceditque, omnium interpretum auctoritate potior habendus, usus linguae Aramaeae.

Nec etymologia destituimur, quae prope se offert, dudum ab aliis, Schultensio, ac diu ante illum, Grotio, in subsidium vocata: كوم et كُومَة, *cumulus* sunt, unde Pleiades, *cumulus stellarum*, quis vel non ex hoc solo nomine in coelo eas conspiciens agnoscat? dici egregie potuerunt.

Accedit insignis Jobi locus, c. XXXVIII, 31. astro כימה ea tribuens, quae eximie in Pleiades cadunt, התקשר מעדנות כימה *ligabisne*, i. e. poterisne ligare, *vincula Pleiadum?* Aptissimum id constellationi arcte colligatae, hoc sensu: *tune efficies, ut VI illae aut VII stellae, quae Pleiades dicuntur, ita arcte maneant conjunctae et conglomeratae?*

Rabbinorum non paucos in commentariis כימה Pleiadas interpretari, licet alii dissentiant, notum est: sed horum auctoritate non utor, quod sunt nimis recentes, vixeruntque tot post interitum linguae Hebraicae seculis. Eorum certe sententia non majoris est momenti; quam christianorum: ut ergo non christianorum interpretum omnes colligo sententias, veritus, ne obruatur potius quam illustretur verum, nec eorum consensu tanquam testimonio utor: ita nec opiniones con-

quiro

quiro Judaeorum, nec ubi verum mihi dixiſſe videntur, ut teſtibus laetor. Vel illos tamen audire ſi cupias, conſule Hydium p. 32. notarum ad Ulugh-Beighi tabulas. *Niebuhrius* in deſcriptione Arabiae p. 114. memorat, *Judaeum Sanaenſem, aſtrologum, ſed aſtrognoſiae ignarum, quem de* עש, כסיל *et* כימה, *interrogarit, deliberaſſe cum aliis Judaeis, et reſpondiſſe,* כימה *eſſe Torije i. e. Pleiadas.* Ita quidem illi, quos conſuluerat, ex iisdem quos nos legimus Rabbinis reſpondiſſe videntur: vera eos ſtatuere arbitror, ſed hoc verum calculo eorum adjecto certius non factum eſt, quam antea erat.

Alio adhuc loco pro noſtro פימה Syrus כימה legit, Job. XV, 27. inſignemque ex hac lectione exſculpſit ſententiam. Impius deſcribitur, gigantum more contra deum furens: *incurrit in eum collo elato, occipite ſuſtinens teſtudinem clypeorum, tegitque faciem pinguedine,* jamque additur, ܘܣܳܡ ܟܺܝܡܳܐ ܥܰܠ ܥܝܽܘܬܳܐ *et ponit Pleiades ſuper Hyades* (*), ac ſi Hebraica eſſent, ויעש כימה עלי כסל. Grandis imago: omnia in ipſo coelo turbat, aſtra evertit ipſa, non Pelio Oſſam, et Oſſae frondoſum Olympum, ſed ſidera ſideribus, Pleiades Hyadibus imponit: in eo tamen erratum manifeſte, quod כסל Hyadas vertit Syrus, vicina ſidera quaerens, utrumque enim cumulus ſtellarum in Tauro. Hebraica vertenda fuiſſent: *ponit Pleiades ſuper Orionem.*

1137. כיס *marſupium, loculus.*

Indubia vocabuli ſignificatio, quam et, (Chaldaeos taceo) ſub ܟܝܣܐ habent Syri, ſub كِيس, pluraliter أَكْيَاس Arabes. Solum latet etymon. Ad כסס, *numerare*, Abenezra aliique retulerunt, male ut opinor, cum et in linguis Orientalibus omnibus per Jod ſcribatur,

(*) De ܥܝܘܬܐ vide dicenda ſub כסיל et עיש.

tur, ita plane superfluum futurum nec ad solum marsupium pertineat, ex quo pecunia numeratur, sed et ad alia involucra. Nempe et Syriacum ܟܝܣܐ in versione recentiore pro πήρα ponitur, Marc. VI, 8. et Arabicum كيس ab Avicenna, (vide Castelli lex.) de *folliculo fellis et testiculorum*. Graecum, κίστη, quamquam a doctissimis etiam, male confertur, cum sit vocabulum et antiquissimum, Mosi jam usurpatum, et linguis orientalibus commune prope omnibus. — — Suspicionemne adferre licuerit, esse formae קִין a כָּסָה *texit*, ut proprie sit generatim, *operimentum, involucrum, sacculus*. Nisi forte et ipsum כוס tegendi significationem habuit, indeque et *astutia* Arabibus dicta, quorum vide lexica sub كيس. Sed etymologica non amo nimis persequi alte, veritus, ne circa fontes in paludosa incidam.

1138. כירים Levit. XI, 35.

Nihil cum proprii meique de hoc vocabulo habeam, indicare mihi liceat lectoribus eum, quem consulere hic soleo, *Sebaldum Ravium*, §. 16. 17. dissertationis *de re cibaria Hebraeorum, speciatim de pane, ejusque praeparatione. Trajecti ad Rhenum 1768.* Non excerpo, quod eam lectorum esse velim omnium, nec brevibus defungi posse me video.

1139. כִּכָּר *talentum.*

De talenti Hebraici, et vero Mosaici, quantitate, vide scripta sub num. 416. גרה. Mihi est, 65 marcarum Coloniensium et 10 semunciarum, quo ex computo,

1) talentum auri facit $4397\frac{1}{2}$ *ducatorum aureorum.*

2) talentum argenti, $787\frac{1}{2}$ *rth.* nostrae monetae Hannoveranae, quae ex marca argenti cudit 18 florenos: at ex illa, quae 24 cudit (*vierundzwanzig Gulden Fuss*) 1050 rthlr.

Alia ratio aliorum computorum. Eisenschmidiani quidem haec: talentum illi est 182 Marc. 10 semunc. 1 drachm. $17\frac{62}{100}$ moment. — —

 ergo,

ergo, 1) talentum auri 12237 ducatorum, — — 2) argenti, 2191 rthlr. 17 gr. 6 pf. noſtrae monetae, vilioris (24 Guldenfuſs) 2922 rthlr. 7 gr. 4 pf.

Nomen generatim orbem ſignificare, dudum notarunt lexicographi: eſt ergo, ut quadriliterum pro כרכר, referendum ad כור, quod ſupra habuimus. Hinc et orbis panis dictus, et circulus geographico ſenſu, i. e. regio, ut כבר ירדן *circulus, regio Jordanis*, et talentum, quod pondera orbiculari plerumque forma fundi ſolent. Sed hoc meliores ex lexicographis jam occuparunt.

1140. כלאים *duo*, Levit. XIX, 19. Deuteron. XXII, 9.

Eſt ipſiſſimum Arabicum كِلَا vel كِلْتَا femin. كلتان *duo*, vel, *ambo*, e. g. Deut. IV, 13. علي كلي لوحي *in duabus tabulis*, (pro Hebr. על שני לחות) Luc. VI, 39. *nonne cadent* كلاهما *ambo* (ἀμφότεροι) *in foveam?* Eph. II, 14. الذي صنع الفريقين كلاهما واحد *qui fecit ſectas duas unam* (ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν) Sur. XVIII, 31. كِلْتَا ٱلْجَنَّتَيْنِ *ambo horti.* Arabum quidem lexicographi, nec inficias ierim, ad radicem كلي referunt: ſic forte ex hoc ipſo verbo ortum Hebraicum כְּלָיוֹת *renes*, cujus alii nimis comminiſcuntur doctam derivationem. Ex Hebraicae tamen Aethiopicaeque linguae analogia ſuſpicor, Jod hic ex Aleph ortum eſſe, forte quod media Keſrata pro كِلَا requireret, كِلَي, ac proprie كِلْتَان كِلَان cum Hamza ſcribendum fuiſſe. Aethiopibus quidem ab Arabico vocabulo כלא eſt, *ſecundus*, *alter*, *alius*, unde et *proximum*, *ſodalem*, *ſocium*, dicunt, et *adverſarium.* Vide Ludolfi aut Caſtelli lexicon Aethiopicum. Caeterum vide et infra num. 1146. ſub כלה dicenda.

Moſes quidem in legibus vocabulo rariore utitur, primo, de veſtibus ex lana et lino compoſitis, deinde de conſitione agri duplici ſemine,

mine, ut, *tritico et lolio*, denique et de coitu animalium duplicis speciei, ut equi cum asina &c. qua in lege sapientissima interpretanda pessime versati sunt Thalmudici. Sed de his non est hic differendi locus, vide potius, si legem ejusque et caussam intelligere cupias, et sapientiam oeconomicam maximam, jus Mosaicum §. 218. 219. 220.

1141. מִכְלָה vel מִכְלָאָה Habac. III, 17. Ps. L, 9. LXXVIII, 70.

Non nisi ter legitur, in psalmis per Aleph מִכְלְאוֹת, a singulari מִכְלָאָה scriptum, in Habacuco מִכְלָה, ut mihi quidem videtur, non utriusque literae permutatione, sed omissione prioris, pro מכלאה, quod ipsum ibi habet codex Kennicotti 134 (recentior, sed ex Syria adlatus) duoque alii מכלא. Nonnisi de ovibus ponitur, et vero in Habacuco cum oppositione ad boves. Duplex vocabuli interpretatio,

1) *grex:* sic quidem in psalmis satis unanimiter LXX. Ar. Vulg. Hieronymus, Syr. Chaldaeus, inque Habacuco Syrus. Possit grex dici, sive, a كَلَأَ *custodivit*, sive ab alia ejusdem verbi notione Arabica, *pabulatus fuit*.

2) *ovile*. Sic in Habacuco Vulgata, anonymusque Graecus, ἐκ μάνδρας. Rabbinis hoc placuit, Raschio, Kimchio, hisque ducibus in lexica immigravit. Possit ovile a כלא *clausit, cohibuit*, dici. Auctoritate veterum si stare lubeat, prius praeferendum: sed et aliam ob caussam mihi praeplacet, quod de solis ponitur ovibus, nomadice sub dio pasci solitis illo in tractu, ac libere palantibus. Certi nihil habeo.

1142. כלב verbum.

Ut verbum in codice Hebraico non occurrit, est tamen et ob derivata de verbo primitivo dicendum. Arabibus quidem, omissis significationibus denominativis, a cane ductis, ut, *rabidus, famelicus, iracundus fuit*, est, et *pungere*, ut, calcaribus equum, et a pungendo, *consuere:* a pungendo et *morsum:* a morsu dictum *canem* putem.

1143. כֹּלֵב *venator* Pſ. XXII, 17. 21.

Ita his, quae indicavi locis כלב adpellandum reor, non ut eſt in maſorethicis bibliis, כֶּלֶב *canis.* Cui quaeſo non diſpliceat, poſt tauros et leones v. 13. 14. memoratos, haec turpiter ſubſidens imago, v. 17. *quoniam circumdederunt me canes?* aut hanc quis ferat imaginum compoſitionem, ipſam quoque prave inverſa gradatione deſcendentem, v. 21. *eripe a gladio vitam meam, a manu canis unicam meam?*

Utrobique ergo כֹּלֵב *venatorem* intellexerim, Arabibus eodem nomine كَلَّاب dictum, a canibus quidem, quibus in venatione utitur. Nec nova explicatio: praeivit in verſu 17 Aquila θηρατάς, et Graecus anonymus, κυνηγέτας vertens.

1144. כָּלְבִּי Keri 2 Sam. XXV, 3. *furioſus.*

Non jam de lectione textus, כלבו, diſputo, ſed de ſolo Keri, quod aliqui, *Calebo ortum*, LXX κυνικὸν, *cynicum* (a cane) interpretantur, ſequacem nacti, qui multa ex ipſis ſumſit, Joſephum Ant. VI, 13, 6. (Vide biblioth. Or. priorem T. VII. p. 203).

Mihi quidem *rabidus* praeplacet, quod et Syrus habet, harmonice ܟܠܒ vertens, i. e. ad rabiem uſque iracundus animique impotens, rabie generatim a rabie canina (hydrophobia) dicta. Nempe كُلِبَ verbum forma paſſiva, Arabibus *rabie canina corripi*, nomen كَلَبٌ *rabies canina*, كَلَابٌ *delirium ex rabie canina.* Vide Golium, vel potius, exempla aliqua addentem Caſtellum. Ex iisdem et lexicis diſces, rabiem hoc verbo dictam ad iram vehementiorem transferri.

Lymphaticus Latinorum idem ſonare videtur, proprie, rabie canina adfectum, qui lympha conſpecta in furorem incidit. Frequentior in Arabia, quam apud nos, canina rabies, unde et plures ortae phra-

ſes,

ses, cum Arabicae, tum Hebraicae, (vide infra פחז) nec quidem terrae aut coeli culpa, sed quod per lupos, rabie canina adfectos, latius propalatur: nostra in Germania, Viadrum inter in Visurgim, nulli lupi, incolarum frequentia et armis dudum exterminati.

1145. כְּלוּב Jerem. V, 27. Amos VIII, 1. 2. *rete*, *canistrum reticulare*, *aut certe plectile.*

Non nisi ter occurrit, in Jeremia *aves* continens, (כִּכְלוּב מָלֵא עוֹף) in Amoso *fructus aestivos*, כְּלוּב קָיִץ. Sola ex linguis Orientalibus habet Syriaca, Jerem. V, 27. obvium, ubi est Hebraico non clarius, et Sirac. XI, 30. pro Graecis, *πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ* Syro habente, ܐܝܟ ܩܩܒܐ ܨܝܕܐ ܒܟܠܘܒܐ, ubi aucupum est, plane ut in Jeremia, vas, in quo captas aves reponunt, *canistrum*, seu potius, si ex aucupum more judices, *σπυρὶς*, *sporta ex funibus contexta.* De Graeco, *κλωβὸς*, quod Bochartus attulit, postque illum multi, videbimus, ubi primo de Orientali כְּלוּב et ܟܠܘܒܐ nisi certa, veri tamen similia certisque proxima expedierimus. Primo veteres audiamus.

1) Syrus ergo, ut vixdum dixi, in Jeremia ܟܠܘܒܐ *sportam* aucupum intellexit.

2) *Vasa*, generaliter, sunt qui interpretantur. Sic LXX in Amoso, *ἄγγος ἰξευτοῦ*, *vas aucupis*, utrum, in quod captas colligit, an quo capit aves? Mirari possis Hebraica כְּלוּב קָיִץ legentes de *aucupis* vase cogitasse, nisi eundem ex illis aucupem Arabs, harmonice reddens, unde ortus sit admoneret, إناء قانص. Nempe קָיִץ, non boni grammatici, ad קָבַץ, *venari*, retulerunt.

Sic et ibidem Chaldaeus, מָאן מְלֵי סִיוּבָא קִיטָא *vas plenum fructibus:* et paulo adstrictiore vocabulo usus Symmachus, *κάλαθος ὀπώρας.*

3)

3) *Caveam in qua volucres saginantur*, Chaldaeus in Jeremia intellexit, בֵּית מְטַמְא, *domus saginationis*.

4) LXX interpretibus in Jeremia est, παγὶς ἐφισταμένη, indeque Hieronymo, *decipula plena avibus:* me judice, optime, licet miraturos lectores suspicer, nullo adparente etymo: orationis certe filo perquam apte, *ut decipulae* (retia aucupum) *avibus*, *ita aedes illorum plenae sunt fraude*, (injuste parto).

5) Vulgata in Amoso *uncinum* habet *pomorum*, quod in commentario explicat Hieronymus: *est uncinus*, *quo rami arborum detrahuntur*, *ad poma carpenda*. Est illi loco non inepta significatio, nec suffragio destituta linguarum orientalium, كُلُّوب enim, *harpago*, *fuscina*. De harpagine et Venemam cogitasse video, potueritque a pungendo, ab acumine dici.

6) Syrus in Amoso ܕܨܘܪܐ ܕܣܘܦܐ *signum finis*, *meta*. Hoc unde sumtum? a forma lapidum terminalium, in acumen desinente? N. L.

Jam ut ex his summam faciam, prima et secunda versio probabilis mihi videtur, sed distinctius exposita. כָּלַב كلب, ut supra num. 1142. dictum, est *consuere*, hinc כְּלוּב est proprie, *rete*, a consuendo dictum. Hoc vero duplicis esse generis potest,

1) *quo aves capiuntur*. Sic putem a Jeremia poni.

2) *sporta reticularis*, canistrum ex loris reticulari forma contextum, quo venatores, piscatores, alii, uti solent, (σπυρίδα Graeci vocant): sicne ponitur ab Amoso, ita tamen, ut hoc reti non animalia contineantur, sed poma arborum? Nec tamen sportas vimineas, scirpeas, virgeas excluserim, latius enim patere solet ejusmodi vocabulorum usus.

Bochar-

Bochartus, de eodem vocabulo copiose agens et ut solet eruditissime, in Hierozoico P. II. l. I. cap. 13. proximus ab ea, quam dixi, sententia, sed *caveam* intelligens, Graecum quoque Κλωβὸς, multiplicis illud et significationis et scriptionis contulit. Audax prima fronte videri possit, Hebraicum vocabulum, ac vero vetus, ante exsilium, Graeco, diversissimae enim linguae, conferre, nec ipse rationem facti reddidit, caussamve dixit. Ergo pro eo caussam dicere liceat. Κλωβὸς, Κλοβὸς, Κλουβὸς, vacillante adeo et incerta orthographia, vocabulum antiquae linguae graecae haud esse mihi videtur, κάρταλλον potius aut σπυρίδα, ea notione ponentis; sed recentius, exque Syriaca lingua in Graecam tralatitium, unde nec ulla se offert graeca derivatio, nec vel in LXX his ipsis locis occurrit, ubi pro Hebraico כְּלוּב exspectasses.

Haec quidem animo volvens, mihique ipsi diffidens, anno jam 1775 consului collegam, graecarum literarum doctissimum, quem, cum *etymologici magni* editionem promisisset, sciebam in etymologicis Graecorum elaborare, locupletissimaeque bibliothecae possessorem et cognitorem, S. V. Kulencampium, cujus quidem, quam meis verbis sententiam dicere malim. Respondit: vocabulum in lexicis antiquis, quorum ipse quatuor possideat manuscripta, non reperiri: Stephanum ex sola habere anthologia, non indicato loco, esse autem, l. VI. c. 15. epigr. 19. saepius legi in scriptoribus Byzantinis, orthographia varia. His ergo lectis in ea confirmatus opinione sum, vocabulum esse barbarum et recens, Graecae linguae ex Syria invectum. Vide *du Fresne Glossarium mediae et infimae Graecitatis* p. 668. 669. Latius patere vocabuli Graeci vim intelliges, hoc consulto.

1146. כָּרָה Malach. III, 6. *mutatus est*.

Consumendi, *absumendi*, aliasque significationes, et notissimas ex quovis lexico, et certissimas, verbo lubens relinquo: ex his tamen vix expe-

expediri posse videtur Malach. III, 6. *ego Jehova non mutor*, (לא שניתי) *et vos, filii Jacobi* לא כליתם, *non absumti estis*. Ex parallelismo sane utriusque membri malles, *non mutamini*, iidem semper manetis, eadem perversitate. Id vero significare possit, atque plane synonymum esse verbi שנה, si ad כלאים, كلان, *duo*, num. 1140. memoratum referas: ab *altero*, dictum, *alterari*, *mutari*. Sic שנה *mutari*, a שנים *duo*, et שני *secundus*, *alter*. Tertiam radicalem He (Jod Arabum) et א hic alternare, supra jam monitum.

Interroges forte, quid hoc loco veteres habeant? Receptum recentioribus ac tralatitium, sola Vulgata: *vos filii Jacob non estis consumti:* reliqui omnes aliter. LXX *οὐκ ἀπέχεσθε ἀπὸ τῶν ἀδικιῶν*, *non abstinetis a malefactis*, ac si esset passivum a כלא cohibuit; Syrus, eos inter et me quodammodo medius, ܠܐ ܦܪܩܬܘܢ ܡܢ ܚܛܗܝܟܘܢ *non recessistis a peccato vestro;* Chaldaeus, audacter paraphrastice, *putatis, qui in hoc seculo moritur, ejus judicium sublatum esse*; nempe, ut verisimiliter Raschi interpretatur, לא כליתם intelligebat, *non penitus morientes interitis, sed poenis servamini futuri seculi*. Perquam coacte. Id unum, a consveta interpretatione si recedo, inverecundiae non sum adcusandus, veterum nemine, praeter Hieronymum, illam habente.

Forte ipsa absumendi notio ab alterando fluxit, sed id in dubiis relinquo, alio suppetente, quod plerisque placuit, etymo, a perficiendo, finiendo.

1147. כליות *renes*.

De etymologia supra sententia dicta, (n. 1140. p. 1270.) eadem, quam et Schultensius praeivit. Quod plerumque volunt, a כלה *consumi desiderio*, nomen ductum, quia in renibus cupiditatum sedes, quibus absumantur, artificiosum nimis videtur ac coactum, nec sufficit phra-

phrasis כלו כליתי Job. XIX, 27. paronomasiam habens, non etymi rationes reddens. Renibus nomen fuisse arbitrer, antequam figura orationis cupidinum sedem hanc faceret.

Hic quidem et aliam phrasin notari velim ab eorum dolore intensissimo et intolerabili, (si vel renibus per errorem tribuatur), nobis, *das Miltzstechen*, ductam, Ps. LXXIII, 21. כליותי אשתונן, proprie, *renibus meis pungebar*. Huc et referendam psalmi XVI phrasin puto, v. 7. יסרוני כליותי *pungunt me renes mei*. Vide de יסר dicta num. 1004.

1148. כִּלָּיוֹן et כָּלָה Jes. X, 22. 23. *implementum vaticinii*.

Consumtionem, i. e. *interitum*, *internecionem* plerique habent interpretum, nec dubium quin id ex etymo significare possit, (usu enim ipso haec quidem vis vocabuli כליון non firmatur): verum possit et esse, *consummatio eorum quae praedixerat deus*, *implementum*, idque filo orationis aptius, internecionem excludentis, et reliquias ex impendente calamitate promittentis. Ergo hoc praefero.

1149. מכלות, vel, כְּלוֹת 2 Paral. IV, 21. *secundarium?*

Vocabulum difficillimum, in quo ante omnia varias lectiones consulendas duxi, opisne aliquid adferrent? Unus quidem codex Kennicotti omittit, alius, ordine ac numero primus, מלכות habet, *haec omnia erant ex regno auri*, fere ut recentiores dicunt, *ex regno solis*, sed vereor, ut ita locuti veteres Hebraei sint. LXX omittunt, quod enim ex illis citatur χρυσίον καθαρὸν, ad praecedens זהב referendum. *Aurum perfectissimum* non pauci habent, de quo ridiculam Judaeorum fabulam, (mille talenta, millies catino indita, ita fuisse depurata, ut unum remaneret) Kimchi, exque eo, sed ridens, Beckius in notis ad chronica Chaldaica, retulit. Sed et ut fabulam demas, plane displicet aurum hoc perfectissimum, primo, quod opponitur auro optimo, versu prae-

 ceden-

cedente זהב סגור dicto, deinde quod vix verisimile, candelabris ex auro factis *optimo*, instrumentum eorum ad forcipes usque, ex auro fuisse *perfectissimo*.

Mihi quidem has ipsas ob rationes *secundarium*, *minusque primo ipsorum candelabrorum purum* placeret aurum: hocne a כלאים, كلان *duo*, n. 1140. ita dictum? Sic quidem a שְׁנַיִם fit, שֵׁנִי *secundus*, ab hoc מִשְׁנֶה *secundarius*. Ambigo etiam, sitne מ, ut puncta volunt, pars nominis? an praefixum, הוּא מִכְּלוֹת זהב, *hoc fiebat de secundario auri.*

Simonis lusus ex Arabico كلت et per transpositionem literarum كتل *aurum compactum*, (quasi opus esset hoc dictu!) vix quemquam probaturum reor, Arabicae linguae peritum, nec refellere opus duco.

1150. תכלית Job. XI, 7. XXVI, 10. *mensura*.

Significationes, quas lexicographi vocabulo dederunt, non nego, parum tamen aptas Jobi locis, in quibus occurrit, existimo.

Job. XI, 7. satis unanimes *extrema* vertunt LXX ἔσχατα, Syr. ܣܘܦܐ, Chald. סופי: sed parum inde lucis sententiae. Arabes quidem pro כול mensurare, et كلي dicunt, in quinta, تكلّي *mensuravit*, pro تكيّل: hinc *mensuram* interpretor, et praecedens עד, *numerum: numerosne mensurae Dei invenies* i. e. *poterisne judicia ac tanquam mensuras Dei explorare?* Eodem modo et Job. XXVI, 10. עד תכלית אור עם חשך *numeravit mensuram* (proportionem) *lucis cum tenebris.* De sententia vide notas versioni germanicae additas.

De ipso etiam illo psalmi CXXXIX, 22. תכלית שנאה שנאתים, dubitare incipio, sitne, *cupidissimo odio odi illos?* an, *perfectissimo odio*, an denique, *aequa odii mensura*, *aequato odio odi illos*, *illi me oderunt*, *par illis odium reddo*.

Aliud

Aliud nomen תכלית Job. XXVIII, 3. quaere infra sub כלת.

Jes. X, 25. pro על תבליתם, quod vide p. 179. editiones nonnullae a de Rossio indicatae, ac tres codices Kennicottiani tres insuper de Rossiani על תכליתם legunt: quod ipsum et huc referri possit, ac verti, *et ira mea erit ad mensuram eorum*, i. e. modica, ut eos non absumat, sed ferri possit.

תִּכְלָה quaere sub תכל.

1151. כלח Genes. X, 11.

Urbs, jam diu ante Mosis tempora condita, in Assyria, me quidem judice, *Holwana*, alio nomine حلوان dicta. Vide num. 732. חלח, et (ubi tamen non pauca corrigenda) Spicilegii geograph. T. I. p. 244-247. Duplex est Assyriae, nominibus quodammodo consonans, urbs et regio, cujus nomen potueritne promiscue per Caph et Cheth, scribi, an sit חלח a כלח distinguenda, non definio.

1152. כֶּלַח *senectus* Job. V, 27. XXX, 2.

Non dubito, quin utrobique *senectam*, et vero summam significet, licet possit et ex etymo Arabico *hilaritatem* significare: est enim كلح *denudare dentes*, quod et iratorum est, et laete ridentium, unde تكلّح *subrisit*, *leviter strinxit dentes*. Sed haec disce copiosius dicta, a Schultensio ad Job. V, 27. plures sententias enarrante et expendente. In uno tamen adhuc etymo aut dissentio, aut certe dubito. Senectam dictam putarunt alii ab austero vultu, ego mallem, *rugoso*: id quidem nec ei displicet, sed aliud vult addi etymon aut conjungi, *hiemem*, cujus epitethon sit كالح. Exempla ille quidem duo addidit, شتاء كالح quod vertit, *hiems ringens*, aliudque, برد اصبح كالحا *frigus evasit ringens*. Phrasis insolentior: quid erat, cur non potius verteret, *hiems saeva*, *frigus saevum*, aut,

nam et hoc licuisset, *urens* (*). Sed hoc utcunque sit, non nomen est hiemis, sed adjectivum. Adde *hiemis ringentis* imaginem senectuti, qualis Job. V, 27. describitur, placidae ac beatae, haud convenire. Ergo rugas senectae intellexerim: aut, nam in his etymologicis ambigere non pudet, a كَلَحَ, quod Giggejo est, *labiis ingestis et contractis fuit*, dictam senectam putem. Summo in senio, dentibus excidentibus, labia intus contrahuntur, quod et in senio pingendo pictores non negligunt.

Prima forte vis verbi, 1) *contrahere* hinc 2) *contrahere rugas*, 3) *contrahere labia*, a) *dentes ostendendo*, quod est iratorum, b) *ridendo*, c) *dentium defluxu intus labia contrahere, quod summae est senectutis.* Haec si cui displiceant, veniam det etymologica parce attingenti.

1153. כלל, verbum, Ezech. XXVII, 4. 11.

Non legitur Hebraice, nisi Ezech. XXVII, 4. 11. nec in Kal, sed Piel, כָּלְלוּ יָפְיֵךְ. *Perficiendi* vim verbo dare solent, *perfectam fecerunt* pulchritudinem tuam, duce Kimchio, qui adscripsit השלימו יפיך, praeiveruntque ex veteribus, Syrus, ܫܟܠܠܘ ܫܘܦܪܟܝ Vulgata, hic ab Hieronymi manu, *impleverunt decorem tuum*, inque versu decimo LXX. ἐτελείωσάν σου τὸ κάλλος, ibidemque Chaldaeus, שַׁכְלִילוּ שׁוּפְרִיךְ. Ita apta filo orationis explicatio, ut nec in versione germanica deserere, diu consvetam, auderem. — Est tamen, ut ingenue dicam, mere conjecturalis, dici a כֹּל, *omne*, potuisset כָּלַל *perfectum reddere*, fere ut apud Syros ܫܟܠܠ, sed usu linguarum destituitur, in aliam consentientium, *coronandi*, *circumdandi.*

Nem-

(*) Sic forte ponitur verbum Sur. XXIII, 106. de damnatis: *uret vultum illorum ignis*, وهم فيها كالحون *atque illi in eo adurentur*, (proprie contrahentur, corrugabuntur ardore). Hinc et forte quadriliterum, كَلْحَبَة *sonus ardentis ignis.*

Nempe Arabibus كلّل, Syris ܟܠܠ Chaldaeis, כלל, *coronavit*, nominibus sororiis coronam sonantibus. Infra videbimus, *coronam* de urbe poni, tota aedificata, murisque et aedificiis coronam simulante: jam ergo malim vertere, *coronarunt pulcritudinem tuam*, id vero est, in versu quarto, ubi de aedificantibus sermo, *pulcherrimam te fecerunt coronam, perpetuis in coronae modum connexis aedibus, circumjectoque muro, ac turribus*; inque versu undecimo, ubi de militibus in muris excubias agentibus, clypeosque ex illis suspendentibus, *coronae in morem circumdederunt te, et ornarunt.* — — Ipsam phrasin, apud Syros reperi, de Edessa, cujus muri perrupti, multaeque aedes eversae exundatione fluminis erant, restaurata, ܡܕܝܢܬܐ ܐܬܟܠܠܬ ܒܒܢܝܢܗ *urbs coronata est aedificando.* Chrestom. Syr. p. 51.

Proxime a me absunt, *circumdandi* notione verbum accipientes, LXX v. 4. περιέθηκάν σοι κάλλος, at iidem aliter v. 11.

Mirari possis, lexicon inspiciens Arabicum, idem verbum كلّ notare, *lassus et defessus fuit homo, obtusus et hebes fuit* &c. Mihi verisimile, primam ejus vim in *rotunditate, orbe, et circumdando fuisse*, hinc et coronam dictam, et *obtusam* aciem, quippe quae retro flectitur ac curvatur. Sed de hoc utcunque statuas, nihil ad linguam Hebraicam.

1154. כְּלִילָה *corona.* Ezech. XXVII, 3. Thren. II, 15.

Arctissime cum his connexum, quae de praecedente verbo diximus, Ezech. XXVII, 3. ubi Tyrus vocatur, כְּלִילַת יֹפִי quod *perfectionem pulchritudinis* interpretari plerique solent: praeeunte, christianis Hieronymo, *perfecti decoris ego sum*, et Judaeis Chaldaeo, (sed ambiguo) *ego sum* משכללא, *perfecta? an, coronata? in pulcritudine mea.* Quidquid sit, consenserunt.

At cum haec mere conjecturalia ſint, et vero ܟܠܝܠܐ Syris *corona*, itemque Arabibus, اكليل, Chaldaeis כְּלִילָא, ſeu potius, cum per totum Orientem ſub his radicalibus כלל, receptiſſima ſit et notiſſima, multorumque derivativorum ditiſſima *coronae* notio, *coronam pulcherrimam* vertendum duxerim. Praeivit omnino Syrus, eodem ille, quae felicitas linguae erat, vocabulo utens, ܟܠܝܠܐ ܕܫܘܒܚܐ *corona glorioſa*. Sic et alio Hebraico vocabulo Jeſ. LXII, 3. Sion dicitur, עֲטֶרֶת תִּפְאֶרֶת, *corona pulchra*, (paululum quidem ibi mutata ſententia) idque Syrus reddidit, ܟܠܝܠܐ ܕܫܘܒܗܪܐ.

Altero quidem in loco, Thren. II, 15. quod jam occupavit Coccejus, LXX verterunt, *αὕτη ἡ πόλις, ἣν ἐροῦσι, στέφανος δόξης.*

Solent urbes, maxime in montibus ſitae, ſed et aliae, coronae comparari, quarum ſpeciem eminus referunt. Sic et Latinis Magna Mater Deum, coronam capiti impoſitam geſtat murariam, urbium emblema. Vide ſimillimam imaginem Jeſ. XXVIII, 1. 2. 3. ubi Samaria alio nomine עֲטֶרֶת *corona* dicitur *in capite vallis fertilis*, ibique commentantem Vitringam.

1155. כְּלִיל *corona* Pſ. L, 2.

מִכְלַל־יֹפִי mutatis punctis effero, מִכְּלִיל יֹפִי, ita ut מ ſit praefixum, ipſumque nomen כליל יפי, Sionis cognomen et encomium. Sic quidem, in conſtructione mecum conſentientes, LXX *ἐκ Σιὼν, τετελεσμένης κάλλει, ex Sione, perfecta pulchritudine*, Deus adparuit. Sed et hic malim, *coronam: ex Sione corona pulcherrima*, quod nomen aliis quidem urbibus, ſed maxime Sioni, in monte ſitae, competit.

1156. כַּלָּה *ſponſa, nurus.*

Significationes notae, et in quodvis lexicon receptae: de ſola derivatione, notionumque genealogia aliquid addere liceat.

Spon-

Sponſa a *corona* dicta videtur, qua ornari et apud nos ſolet, et ſolebat apud alias gentes antiquitus. Simillimam phraſin in Aegypto obſervavit Vanslebius, *relation d'Egypte* p. 341. (*la ſolemnité du Mariage, qu'ils appellent, la Coronation des Epouſes.*) Confer et Cant. III, 11. — — Ea vero, quae nuptiali die jucundo *ſponſae, coronatae*, nomine vocabatur, blanda primum adulatione, nurus jam facta, deinde et uſu linguae, blandimenti etymique oblivioſo, illud retinuit.

1157. כליל de ſacrificio poſitum.

כָּלִיל, ubi de ſacrificiis poſitum, eſt *quod totum igne abſumitur*, a כל, nec tamen ideo ei, quod dicimus, holocauſto plane idem. Ponitur quidem et de hoc, 1 Sam. VII, 9. ſed adjective, *ſumſit agnum*, ויעלה עולה כליל ליהוה, *obtulitque totum igne abſumtum Jehovae holocauſtum.* At alias et de *munere farreo* (מנחה) poni video, quando totum igne conſumitur, Levit. VI, 15. 16. — Pſ. LI, 21. ubi ab עולה diſtinguitur, (עולה וכליל) adipem intellexerim ſacrificiorum euchariſticorum, qui totus imponebatur altari: eadem notione Deut. XXXIII, 10. accipiendum reor.

Deut. XIII, 17. ad ſpolia ſceleratae urbis transfertur, tota cremanda, gratum ut videtur Deo ſacrificium; eademque forte et Jeſ. II, 18. figura ponitur.

1158. כל *omnis.*

Proprie, ut jam dudum alii monuerunt, ſubſtantivum eſt, univerſitate, ut puto, *orbe*, aut *complexu* dicto, *complexus hominum*, pro, *omnes homines.* Hinc fit, ut non ſolum, (quod valde frequens) cum verbo conſtruatur ſingularis numeri, ſed et, quod rarius, lectoremque turbare poſſit, nomen femininum intercedente כל cum verbo generis maſculini, ut Jeſ. XIV, 31. נמוג פלשת כלך, *fluctuat, o Philiſtaea, totum tuum*, nulla in codicibus Kennicotti lectionis varietate.

Vide

Vide patris mei dissertationem de *soloecismo generis a sacro codice depulso.*

Recte observarunt Judaei, כל non ubique sensu mathematico de omnibus omnino, sed et de multis poni. Ad Jes. XXIV, 10. סגר כל בית *clausae sunt omnes aedes*, Kimchius verissime, באמרו כל רוצה לומר רוב כמו וכל הארץ באו מצרים *dum dicit OMNES, dicere vult multae, ut OMNIS terra venit in Aegyptum.* Judaeum sententiae auctorem excito, non christianum, ne hic suspectus fiam, videarque incidere in deliria disputationum de absoluto decreto, polemica enim theologia totam rem philologicam atque exegeticam turbare, ac nebulas ei offundere, praejudicatarum, nec sine furore defensarum opinionum solet. Has, saniores, nebulas vitemus. Plura si quis cupiat, etiam ex Novi foederis tabulis exempla, adeat nostras ad 1 Maccab. I, 8. 9. observationes. Nostrarum quidem, quas a matre didicimus, linguarum, memores, intelligemus, saepe OMNES pro MULTIS, aut PLERISQUE poni.

Videntur aliquando (sed raro, nec plane certis exemplis) Hebraei כל ita uti in compositionibus, ut suo, OMNIS, Latini, in *Omnipotens*. Exemplum adfertur perquam verisimile Psalm. XLV, 14. כל־כבודה *omnimode gloriosa, gloriosissima.* Refero, nihil decernens. Vera si compositio, possis et ad eandem referre Prov. XXI, 5. כָּל־אָץ, *omnia festinans,* omnia concupiscens, nimium concupiscens.

1159. כל Job. XXIV, 24. *melilotus, sertulae.*

כל consveta significatione, *omnes*, vix locum habere posse videtur Job. XXIV, 24. כַּכֹּל יִקָּפְצוּן: hoc enim quid est, *ut omnes ligantur*, vel, *constringuntur*, (scelerati)? hi enim omnes quinam? omnesne mortales? at ii non omnes ligantur, poenasve dant, sunt enim

et

et ex illis boni! — — Scelerati? Ita ſcelerati omnes omnibus ſceleratis inepte comparabuntur. Nec ſatisfacit Schultenſius, vertens: *attenuabuntur cum conſummatio eſt:* ex ſolo enim, et vero lubrico, etymo ſumſit, כל eſſe conſummationem fortunae.

Jam de mutanda lectione, כבל, *conſtringuntur compedibus*, cogitare incipiebam, ſed et codices conjecturam deſtituebant omnes, et LXX ad verum aliquid, ſi vel ipſi non prorſus attigerunt, viam mihi monſtrarunt, כל botanico ſenſu ut herbae nomen accipientes, ὡς μολόχη, *ut malva*, ſeu, quod aliis in codicibus inveniri Olympiodorus (in catena patrum in Jobum) teſtatur, ὥσπερ χλόη, *ut herba.* Mire placebat, videbaturque unice veriſimile, cum in ſequente membro, (me quidem interprete) ſequatur, *et ut lolium ſegetum comburuntur.*

At poſſitne כל herbae, vel floris nomen eſſe? Ita mihi quidem videtur, et vero *meliloti*, Arabibus ejusdem radicis nomine إكليل dicti. Et hoc quoque nomen a notione *coronae* fluxit, quae ſub כלל late per linguas regnat Orientales, nempe quod coronis ruſticis plectendis inſerviebat. Plinius libr. XXI, §. 29. de meliloto, ſeu, ut latine vocari ait, ſertula Campaniae: *coronas ex illis ea antiquitus factitatas, indicio eſt nomen ſertulae, quam occupavit.* Ipſo adeo etymo, a corona, כל, إكليل, *ſertula*, idem. Eſt melilotus pulcher quidem, nec uſu caret oeconomico, at in agris valde inviſus, quos occupat, alte radices agens, luxurians herba, maxime in ſaxoſis. Huic mali comparantur, pulcherrime quidem florentes, ſed qui, *ut ſertulae vinciuntur*, ſive, quod melilotus colligatur comburendus, ſive quod in coronas plectitur et colligatur. Sequitur deinde ſeverius, *et ut lolium ſegetum comburuntur*, de quo vide ſub מלח et ראש dicenda.

1160. מִכְלָל vel מִכְלוֹל Ezech. XXIII, 12. XXVII, 24. XXXVIII, 4.

Recentiores, Kimchium ſequuti, ad perfectionis fere notionem, quam verbo כלל largiebantur, retulerunt, ut ſint, *veſtes perfecta pulcritudine.* Conjectura ex etymo gratis ſumto, nemine veterum praeeunte, ultimo quidem loco Ezech. XXXVIII, 4. parum apta.

Hic quidem de barbara gente atque innumerabili, cultiorem orbis terrarum partem invadente legens, *omnis exercitus, equi, equites,* לבשי מכלול כלם *induti omnes MICHLOL*, quis non potius de *lorica* aut *panoplia* conjiciat? Haec ſive a *circumdando*, ſive a כל omnis, plane ut Graecum πανοπλία dici potuerit, etymo ſe ultro offerente? Sed et praeiverunt hoc loco veteres, LXX θώρακα; Arabs ex illis دروع, Vulgata, *loricas*, Syrus ܙܝܢܐ *arma*. Mirum, hoc in lexica non receptum.

Eadem ſignificatione et altero in loco, Ez. XXIII, 12. vix dubium eſt, quin ſit accipiendum, *Aſſyrii* לבשי מכלול *induti thoracibus, equites, equis inſidentes.* Ad amorem, de quo ibi ſermo, facit quoque armatura: juvenes ſtrenui, bellatores, induti armis, puellis placere ſolent. Nulla tamen ibi verſio antiqua praeivit. Ezech. XXVII, 24. filum orationis plane nullarum partium, de mercibus quippe ex Arabia auſtrali adlatis ſermo, nec tamen contrarium, potuerunt enim et loricae in ejus mercibus eſſe, Tyrum advectis, aut arma alia.

In XXXVIII Ezechielis capite plures, ut dixi, ex veteribus ſatis concordes, alias varii, atque vel ipſi ſibi contrarii. Etiam haec enarrare lubet, quae, ſi nihil veri nos docent, ſed meras conjecturas, id tamen planum faciunt, lexicographos, qua erant plerumque feſtinatione et inverecundia, eruntque niſi fallor, (ad finem enim perducere librum coeptum, immenſi laboris, ſine labore volunt) ne conſultis

quidem

quidem veteribus solis exceptis Judaeis, aut conjecisse, aut conjicientes Judaeos sequutos fuisse

1) Ezech. XXVII. plane omittunt LXX sive quod obscurum videretur, sive quod idem cum sequente תכלת. Absuisse ab eorum codicibus Hebraicis non puto, cum nullus huc usque consultorum omittat.

2) Ibidem Theodotio vocabulum, ut ignotum retinuit, MACHALIM, adnotante etiam Hieronymo.

Haec quidem, sed illo solo in loco, desperantis sunt, et ignorationem confitentis.

3) ܐܣܟܠܐ Syrus vertit, Ezech. XXIII, 12. Hocne nomen de colore intellexerit hyacinthino, qui quid in vestitu ad amorem furentium feminarum solicitandum faciat, non video, licet non sit indecorus, an ܐܣܟܠܐ aliam praeter hanc significationem habuerit, non definio. Vide sub proximo vocabulo תכלת dubitanter admodum dicenda.

4) Ezech. XXIII. ὁ Σύρος habere in Hexaplis dicitur, ἐν ἀποκρύφοις σκεύεσι. Et hoc unde arreptum, difficile conjectu, nec velim, his, quae mihi subnascuntur, suspicionibus molestus esse lectoribus, nulla earum vel mihi placente.

5) εὐπάρυφα *pulchre contexta* LXX habent Ezech. XXIII, idque significare nomen possit, a corona enim, כליל ut denominativum, *plectere*, hinc et, *contexere* esse potuisset. *Potuisset* inquam, usu enim caret. Ex his ipsis

6) Arabs برفين الحسن *purpuram pulcram* absurdiuscule reddidit, incertum, utrum ignare ad πορφύραν, purpuram, referens, an aliis literis scriptum a πορφύρα ductum nomen legens

7) *vestem variam* Ezech. 23. habet Vulgata, ab Hieronymo, et c. 27. *multifariam*. Videtur ita ex כל conjecisse, *omni* pro *multi-*

plici et vario, ut putabat, posito. Aquilam, quem in commentario citat, omitto, longa enim disputatio, quodnam ex Graecis vocabulis Hebraico מכלול respondeat.

8) Solus Chaldaeus ubique גְּמַר aut גמיר, *perfectum*, habet. Hoc quidem a Judaeis receptum in lexica transiit, multo melioribus, quae jam veteres praeierant, neglectis. Tales quidem hucusque sequuti fuimus lexicographos.

AVERTISSEMENT.

Da dieser vierte Theil erst auf der dismahligen Ostermesse herauskommt, so ist es billig, daſs auch der Pränumerations-Termin auf die 7 oder 8 letzten Alphabete verlängert wird. Es sollen also Praenumerationen noch bis zum Ende des Junii angenommen werden. Nur verbitte ich, daſs diejenigen Pränumerationen die unter 10 Exempl. sind, an mich gesandt werden, weil es mich zu sehr an der Ausarbeitung stört: Herr Prof. Vollborth, und die hiesige Vandenhökische Buchhandlung sind aus Gütigkeit gegen mich, erbötig sie bis dahin anzunehmen. Die Pränumeration ist, wie man sich aus dem Avertissement zum 3ten Theil erinnern wird, 3 rthlr. auf Druck- und 4 rthlr. auf Schreibpapier, den vollwichtigen Louisd'or zu 5 rthlr. gerechnet. Bey der ersten Pränumeration hatte ich zwar einige Ausnahmen gemacht, und auch einige Pränumeration auf wenigere Exemplarien selbst angenommen, ich fand aber, es machte mir zu viel Hinderniſs in der Hauptarbeit, der Ausarbeitung der Supplemente selbst. Von Castelli Hebräischen Lexico, mit Beyfügung der Numern am Rande, welche auf diese Supplemente verweisen, welches Herr Rosenbusch auf Subscription, (nicht auf Pränumeration) druckt, ist in der Vorrede schon gesagt.
